RESPONSIO CIVITATIS GEDANENSIS

AD SCRIPTUM

QUOD CIRCA IRRUPTIONEM MILITUM EXERCITUS REGNI POLONIÆ,

IN

BONA ISTIUS CIVITATIS PATRIMONIALIA,

Sub Manifesti forma

nomine

ILLUSTRISSIMI DOMINI

DN. JACOBI SIGISMUNDI RYBINSKI,

Regni Venatoris & Generalis Locum-tenentis

prodiit.

ANNO M DCC XII.

LUCANUS
Lib. IX. v. 385.

DUrum iter ad Leges Patriæq; ruentis Amorem.

Niversis & singulis, cujuscunque Statûs, Dignitatis atq; Conditionis, obsequiorum, officiorum & amicitiæ debitâ testatione præmissâ, Notum facimus Nos Præ Consules, Consules, Scabini, Centumviri, totaq; Communitas Civitatis Gedanensis.



Odem prorsus tempore, quo turmas aliquot Polonici exercitus die 29. Mensis præteriti Octobris in prædia nostra patrimonialia inopinatò irruptionem fecisse nobis nunciabatur, ad manus nostras venit Exemplum Scripti, privatis literis Illustrissimi Dn. JACOBI SIGISMUNDI RYBINSKI, Regni Poloniæ Venatoris atq; Generalis Locum tenentis, huc transmissum, quo Ille prædictæ militaris invasionis rationes exponere & fulcire allaborat. Quod in vernaculâ suâ atqve ex eadem latine redditum fideliter sistimus. [*No.* 1.] Boni ominis loco reputassemus, quod scripti Autor No. 1.

tor initio ſtatim agnoverit, excuſatione indiguiſſe ſuam, ut fatetur, *privati Officialis*, per Literas Univerſales Manifeſtationem, cùm ſperare licuiſſet in cæteris quoq; veritatis & æquitatis parem inventum iri reſpectum. Sed quicquid ſubſequitur optima hæc principia, à verecundiæ legibus nimis alienum, docuit, non eſſe falſa, quæ de iis, quibus illius fines tranſilire ſemel placuit, proverbium monet. Fruſtra eſt inanium vocabulorum cortice involvere inconſideratius facta, & cum patrata ſunt, ne in malam partem accipiantur, ſpecioſâ modeſtiâ rogare. Cujus generis eſſe, quæ de milite Reipublicæ in hanc Provinciam Pruſſiæ eâ inconſultâ ſæpius hucusq; introducto allegantur, quis non videt? Ea licetſi alios antea magis ac nos affecerint, tamen nulli dubitamus, quin amantes Patriæ cives & ſua qui bona nôrunt, oſtenſuri ſint commodo tempore, non excidiſſe ſuis animis, quæ in Generalibus Provinciæ hujus Conventibus contra militares incurſiones & licentioſos auſus toties totiesq; graviter ſunt ſancita. Neque enim expedit permittere, ut Fratribus fratres, quibus in eos nullum imperium eſt, onus imponant, quod apud Ipſos Sereniſſimos Poloniarum Reges, Dominos Suos, ſedulo ſemper deprecati ſunt Majores noſtri. Exemplo, ſi opus foret, eſſe poſſent, quæ ex innumeris ſtudio omiſſis
No. 2--18. paucula ſub [*No.* 2—18.] adducta exhibemus. Certè facilitatem atq; liberalitatem, quam in hac Provincia ſe reperiſſe gloriatur Illuſtriſſimus Regni Venator, utrum de eâ prædicaſſe reverentiùs, quàm eidem exprobraſſe fortiùs cenſendus ſit, reſpondebunt rerum geſtarum gnari, ſuisq; damnis edocti, quanto intervallo à blandis, quæ nunc leguntur, vocibus *filii ac ſervi*, non ita pridem diſtiterint rigidæ manus militis, qui in Regiis, in Eccleſiaſticis, in equeſtribus & civilibus fundis, ut leniter ſcribamus, *Dominorum* inſtar ſeſe geſſit. Illi autem ipſi, qui hanc tragœdiam nobis adornarunt, in ſe deſcen-

descendentes, diffiteri vix poterunt, sui causa potissimum promulganda & edenda fuisse, quæ à Serenissimo Rege ac Domino nostro Mariæburgensi Civitati Anno 1710. præstita [*No.* 19.] & à Conventu Generali harum Terrarum hoc An. 1712 adversus militares oppressiones extorsionesq; declarata sunt, [*No.* 20.] quæque Celsissimus quondam Princeps Episcopus Varmiensis b. m. *Zaluski Tomo 3. Epistolarum suarum p. 871.* notata protulit.

No. 19.

No. 20.

Verùm & ista, & quibus Civitas hæc Gedanensis partis, quam adversæ experitur, scripto satis calumniosè gravatur, nullo alio fundamento niti commonstrabimus, nisi quod ignorantia Status Provinciæ Prussiæ, cujus membrum hæc Civitas est, vel etiam utriq; invidentium malevolentia suppeditavit.

Non arbitramur repertum iri, qui Pruthenos Polonorum armis subactos belli jure à Regno Poloniæ teneri somniabunt, quibusq; An. 1574. Cracoviæ circa Coronationem D. Regis Henrici per Consiliarios Provinciæ Prussiæ germanâ priscæ ætatis sinceritate exemtum esse hunc errorem Recessus illorum temporum referunt. Publici nimis sunt Annales, qui evincunt hanc, in qua degimus, Prussiam, olim sub Potestate Crucigerorum Equitum à Poloniâ ejusq; communione distinctam Provinciam extitisse, & postea quam horum Dominorum intolerabili Sævitiâ stimulante atq; superiorum, qui sæpius frustra requisiti erant, cura & auxilio deficiente, excutiendi jugum necessitas imposita fuit, cœptum consilium junctis viribus feliciter executam esse. Neq; ignotum magis erit, Pruthenos ita nullius jam amplius imperio obnoxios rebus suis commodum existimavisse eam, quam rursus acquisiverant, libertatem Dominorum prioribus meliorum tuitioni submittere, & cui eam præ cæteris crederent aliquot mensibus deliberantes, Serenissimos Poloniæ Reges elegisse

atq; iisdem ſemet dedidiſſe. Quæ deditio qualis fuerit, non tantum loquitur *Diploma D. Regis Caſimiri IV.* in cujus manus primum fuit facta, quod communiter *Incorporationis* vocatur, & aliis Provinciæ Juribus, quibus typographi collectorisve incuria municipalium titulum præfixit, cùm fundamentalia convenientius appellaſſet, inſertum eſt; verùm etiam ipſa cuivis ſana ratio ſuggerit, Pruthenos dum ad Reges & Regnum Poloniæ accedebant, non ad novam ſervitutem reverti, vel in Scyllam è Charybdi tranſire, ſed libertatum avitarum uſum reſtaurare, conſervare & augere voluiſſe. Altememoratus Divus Rex Caſimirus pro ſe & Succeſſoribus ſuis pollicitus erat, *quod Terras, Cives & Incolas Pruſſiæ in juribus, libertatibus, literis, Privilegiis & immunitatibus, quæ à Principibus ſpiritualibus & ſecularibus obtinebant, conſervare, fovere, defendere, nec unquam ea violare, aut,* ſicuti verba ſonant, *prævaricari &c. vellet.* Prutheni viciſſim peculiares Senatores, Officiales, peculiareq; ſigillum & juramentum ad Corpus, cui inſerendi erant, afferentes *jura ſua ſibi ſemper ſalva* expreſſe ſunt ſtipulati. Quod ſubinde Status & Ordines Pruſſiæ non obſcurè inculcaſſe, ea quæ ex ſcripto ipſorum nomine An. 1574. publicè exhibito excerpta jungimus inter alia

No. 21. probabunt. [*No.* 21.] Ad præſentem ſcopum noſtrum ſufficiet ex Juribus illis ea ſaltem adumbraſſe, quæ Documento erunt, quâ ratione fas ſit procedere in negotiis Provinciæ Pruſſiæ, quæ alicujus momenti ſunt atque contributiones publicas afficiunt.

Varia Pruſſis à primo illico Crucigerorum in eos ſuſcepto imperio indulta fuiſſe, quibus Jura Regiminis cum iisdem communicata ſunt, ſi ex nulla re alia, quod tamen docere in

pro-

proclivi foret, certe *ex Privilegio Culmensi Anni 1233.* patet. Imprimis sub Magistro Generali Ordinis Teutonici, Michaele à Sterrenberg, qui Culinæ Magister vulgò Kuchmeister audiebat, Anno 1413. *Consilium publicum Provinciæ Prussiæ* selectis Consiliariis exEquestri & Civili Ordine institutum est, inter quos hæc etiam Gedanensis Civitas locum habuit, sine quorum placito & consensu integrum esse non debuit Magistris Ordinis, quicquam in gravioribus caussis sancire, leges condere aut exactiones operasq; publicas imponere. Cujus consilii conservatio, personis saltem immutatis, Civitatis autem Gedanensis priori jure circa illud relicto, deinceps Anno scilicet 1430. tempore Magistri Generalis Pauli Bellizeri de Rusdorff solenni Elbingensis Conventus Statuto confirmata est. Atque huic suæ libertatis tanto stabilimento adeò pertinaciter inhæsere PruthenI, ut constet non modo ea, quæ à Magistro Ordinis sine totius ita compositi consilii Consensu gesta vel pacta fuerant, irrita reddita esse, sed præcipuam etiam ab Ordine Teutonico deficiendi caussam accepisse Pruthenos, cum iste An. 1439. solus atq; non adhibitis, quos adhibere vi superius dictorum oportuisset Consiliariis, Caussas Provinciæ determinandi facultatem usurpasset. Hæc Jura testimonio fide dignissimorum Historicorum fulta, cum ante suam ad Regnum Poloniæ accessionem habuerit Prussia, quis negaverit ad ea pertinere, quæ circa hanc accessionem generali Jurium Suorum reservatione sibi salva stipulata est, quæq; salva fore Suo & Successorum Regum Poloniæ nomine Anno 1454. D. Rex Casimirus IV. ut modo indicavimus, promisit? Immo verò ut luculentiùs hanc, de qua agitur, prærogativam per Conjunctionem cum Regno non absorbendam exprimeret, speciatim Diplomate Suo cavit idem D. Casimirus, *se caussas notabiles,*

quæ

quæ Terras Prussiæ attingerent, cum communi Consiliariorum Spiritualium & secularium Nobilium & Civitatum Majorum Terrarum prædictarum consilio terminaturum, tractaturum & definiturum esse. Eum etiam in finem eôdem anno regimen hujus Provinciæ Prussiæ in eum ordinem redegit, ut certis, licet nonnihil ab institutione Crucigerorum diversis Consiliariis, inter quos tunc ut anteà *Gedanensis Civitas* mansit, idem committeret.
No. 22. [vid. *No.* 22.] Verum equidem est, subsequentibus temporibus aliquam iterum contigisse mutationem: sed illa uti in Gubernatore Episcopis, Palatinis, Succamerariis, & quibusdam Civitatibus, quorum pars abrogata, pars vel noviter addita, vel in locum aliorum suffecta fuit, solùm substitit, ita essentiam ipsius Senatûs Prussiæ & necessariam ejus in rebus Provinciæ consultationem, atque consensionem nullatenus imminuit, neque Civitatem Gedanensem, quæ ab initio inter Consiliarios fuerat, exclusit. Prouti id, quæ à dictis temporibus ad præsentia usque ritè & legitimè gesta sunt, & Regiæ etiam ad Conventus Prussiæ vocatoriæ literæ testantur. Inde est, quod ea sola, quæ *Senatus Pruthen*i, sive ut aliquando melioris à Regni Senatu distinctionis gratia vocari maluit, *Consiliariorum Prussiæ* scitu & placito recepta sunt, Prussiæ incolas obligare possunt, comitiorum Regni Statutis non prius obnoxios, quam cum in Conventibus generalibus harum Terrarum ad commendationem plerumque Regiorum Nuntiorum eam ob causam mitti solitorum, spontaneo tamen motu, unanimis assensus sua fecit. Posset fortè aliquibus subnasci contra ista scrupulus, quod prisco more, quo negotia Provinciæ hujus in Provincia hac solummodò, & per ipsos sæpè Reges tractabantur, minùs religiosè servato, jam

jam à temporibus D. Sigismundi Augusti quidam ex Consiliariis Prussiæ Senatum Regni frequentare cœperint, atque ex Conventibus generalibus hujus Provinciæ Nuncii cum instructionibus ad Comitia Regni expediri etiamnum soleant. Sed neminem ista turbabunt, qui simul consideraverit non modo ex Prussiæ Consiliariis *Succamerarios atq́ Civitates Majores* Regni Senatum non ingredi, verùm etiam eos, qui ibidem comparent, de *rebus Regni* præcipuè suffragia ferre, non item de *Negotiis Provinciæ* hujus, in quibus quicquam tunc temporis definiendi potestatem adeò nullam habent, ut ipsorum Nuntiorum, qui ex Conventibus generalibus Prussiæ ad Comitia Regni ablegantur, facultas alia non sit, quàm ut inde omnia & singula, quæ ad Provinciam suam spectant, *ad Fratres*, ut dici solet, in Provinciam referant, instructionibus ad id plerumq; expressè *sub fide, honore & conscientiâ* obstricti. Hujus Juris & observantiæ tantoperè majores nostri & qui nobiscum adhuc vivunt, tenaces fuerunt, ut primæ dignationis viri ex Prussia sæpè publicè sint professi, *quod vitæ citiùs discrimen subire, quàm polonicis constitutionibus se submittere mallent.* Immo ne ulla ad pessundandam Patriæ libertatem ansa tenuibus licet initiis daretur, neq; *Conventus antecomitiales* cum *post comitialibus* in Prussia confundi voluerunt, neq; intermiserunt obviam ire præjudicio, quoties accidit, ut Statibus & Ordinibus Prussiæ Conventus Generales literis Regiis *non ad decernendas, sed ad eas, quæ decretæ in Regno jam erant executioni mandandas contributiones* fortè Cancellariæ errore indicerentur. Singularius autem illa adstruunt, quæ contra *Constitutiones Comitiorum Regni* in Pruthenos sine Pruthenis quidpiam

decernentes, vel in ipsa Reipubl. facie, quod etiam à Secretariis Civitatum Majorum ante aliquot lustra factum legitur, illicò auditæ sunt protestationes, vel brevi post atq; in Conventibus ipsis Generalibus Prussiæ sub Sigillo totius Provinciæ prodierunt, Manifestationes, Lauda & alia remedia. Exhibet eorum aliquot epistola quæ sub nomine *Generosi Lipinski* nuper prodiit, à quibus dissimilia non sunt, quæ
N. 23-35. [*No*. 23-35.] subnectimus. Patuit ita quam fragile sit ex argumentis, quibus in nos insurgit *Illustrissimus Rybinscius*, palmarium à *Comitialibus* vel aliis *Regni Sancitis* solummodo mutuatum.

Ostendendum est, non habere vim majorem, quæ *de Tribunalitiis* porrò *Decretis Declarationibusque* immiscuit. Hoc ut exequamur qvàm brevissimè, in memoriam revocanda sunt, quæ de Provinciæ Prussiæ singularibus prærogativis edisseruimus, & præcipuè, quæ ad *Causas notabiles* pertinent, utpotè ex quibus sua sponte fluit, Pruthenos in *judicialibus* pariter Negotiis extra patriam suam protrahendos non esse. Neq; protracti fuerunt olim, cùm vel Gedanenses causas non esse in Polonia decidendas, aliquando
No. 36. D. Rex Sigismundus I. declaraverit. [*No*. 36.] Sed etiamsi partim *provocatio ad Aulam Regiam* à foris Prussiæ jam invaluerit, partim sub finem Seculi XVIti. Pruthena Nobilitas sua sponte *in Tribunali Regni* forum agnoverit, & reservato sibi ad Judicia Aulica regressu receperit, subsequentibus temporibus, ceu publicorum actorum recessus perhibent, facti pœnitentiam non raro præ se ferens; tamen nihil indè ad Civitates Prussiæ damni aut præjudicii diffundi potuit. Nam illæ ab initio statim istiusmodi conatibus Nobilitatis sedulò contradixe-

dixerunt, ſuiq; juris & fori indemnitati ſolenni manifeſtatione ſub publico Statuum & Ordinum Prusſiæ Sigillô conſuluerunt. [No.37.38.]Iſtius rei *quòd nempè Civitates Pruſſiæ et earum Magiſtratus alibi quàm in judiciis Regiis, Aulicis, utq; vocantur, Poſt Curialibus, Relationum vel Aſseſſorialibus nullum forum habeant*, præcipua argumenta per indiculum N.37.38.
quaſi [No. 39.] exhibemus. Inter quæ nonnulla deprehendentur, immunitatem à foro Tribunalitio etiam in *ipſis Fiſci prætenſionibus* dilucidè probantia: Ut tamen, in quo cardo ejus, quod demonſtrandum ſuſcepimus, negotii, verti videtur, adhuc planius ob oculos ponatur ambigentibus, alia ſuperaddimus [No.40 59.] quæ docebunt, *controverſias Civitatibus Prusſiæ vel integræ etiam Provinciæ aut Adminiſtris & Incolis ejus ratione Contributionum publicarum quarumcunq; motas, Radomienſis vel alterius alicujus Tribunalis Regni cognitioni aut deciſioni non ſubeſſe*, neq; ſolitam eſſe provinciam pati, ut eò trahantur. No. 39. N.40.59.

Hoc altero ſcripti in noſtram injuriam concinnati nervo ſucciſo, nihil putamus jam ſupereſſe, quod produci in medium queat ad defendendam contributionis exactionem à Pruthenis, quæ vel in Regni ſolius placitis, Prusſiæ legitimo conſenſu deſtitutis, vel in tribunalitiis atq; ſimilibus extra Regium forum prolatis decretis prætextum collocat. Nec tamen ideò ſuſpicionibus, quod faciunt malècupientes, oneranda eſt Provincia Prusſiæ, ac ſi ſuis, quibus eam gaudere certum eſt; privilegiis, abuti eum in finem cuperet, aut abuteretur, ut ab omni prorſùs ſubſidio in communis corporis h. e. Reipubl. Salutem pro virili conferendo ſemet eximat. Id enim tantum abeſt, ut veriſimile reddi queat, ut potiùs,

etiamsi inclytum Regnum Poloniæ ad tuendam Prussiam fortiori vinculo, quam hæc ad illius defensionem, obligatum sit, superiùs memorato *Incorporationis diplomate* inter alia disertè suffragante; nihilominus, quo zelo, quibusque Sumptibus Prutheni necessitates Polonorum juverint, omnium temporum monumenta atque publica ratiocinia, si evolvantur, doceant. Quippe quod non modò ad ipsam Prussiam, circa prima initia suæ cum Polonia conjunctionis in istâ compage tuendam, à Prussiâ potissimi & immensi sumptus profecti sint, verùm deinceps etiam, ut Regni emolumenta promoverent, non exiles districtus à se quodammodo separari Prutheni permiserint, imo ad tuendas vindicandasq; longiùs dissitas Regni Provincias, pecuniæ magnam vim profuderint.

Quæ sicuti in universum de Prussiâ sunt asserenda, adeoq; & Gedanensi Civitati communia, ita de hâc speciatim vera esse si quis est qui controvertit, tum ea, quæ à Gedanensibus ad Prussiam à Milite Ordinis Teutonici liberandam, eoque pacto apud Regnum conservandam congesta sunt, reputet, tum, si obsoletiora hæc fortè creduntur, scire lubeat, quòd Gedanensis Civitas sola sæpè majoribus Summis necessitates publicas elevaverit, quàm conjunctim sumpti universi tres Palatinatus Prussiæ. Ne fastidium moveamus propria extollendo, ad ea, quæ sub titulo: *Inclytæ Poloniarum Reipublicæ Civitati Gedanensi æquioris* ante aliquot annos typis vulgata, in multorum manibus sunt, harum rerum curiosos remittimus. Constabit ex plurimis, quæ documentorum irrefragabilium autoritate tuta ibidem deprehendentur, quantus fuerit in bellis præteriti seculi imprimis usus facultatum Civitatis Gedanensis. Quarum equidem compensatio quædam promissa expressis Millionibus legetur, sed proh dolor! adhuc ab inclytâ Republicâ exspectatur, usuris, quas Credi-

Creditoribus ſuis eo nomine ſolvendas habet Civitas, in immenſum creſcentibus. Interim tamen reticendum haud eſt, qvod in iisdem, quas modò memoravimus, paginis extat, Regum & Regni Poloniæ eam antehac fuiſſe æquanimitatem, & ſollicitudinem, *ut interbelli turbas Civitati Gedanenſi quasvis Contributiones remittendas duxerint*: Exemplo antiquiorum temporum, qvibus in ipsâ pace etiam Acciſæ ab omnibus reliquis ſolutæ, Civitati huic, ut ſuam ſecuritatem novis operibus augeret, donatæ ſunt. Dolendum eſt itaque ſummoperè nunc tantis id agi niſibus, ut ſepoſitâ anteriorum Civitatis Gedanenſis meritorum recordatione, & neglectâ, quam laudavimus, Regiâ providentiâ, quæ hiſce proximis annis, toto fermè Orbe ſciente, fecimus aut paſſi ſumus, quousque hoc in poteſtate eſt malevolorum, obliterentur imò peſſimè proſcindantur.

Cui, obſecramus, bono conglomerata ſunt, quæ opprobriis in nos & cenſuris implent alteram manum legentis, ad quod reſpondemus ſcriptum? Non capimus certè, quæ de *primogeniturâ per Rempublicam*, ut hoc vocabulum ſequamur, *creatâ*, nobis objici videmus. Vix eſt ut *primogenitæ* reſpectum aut prærogativam Civitati huic conciliare voluiſſe credatur iſtorum inventor, qui totis lacertis pugnat, ut non poſtremum locum ſed nullum prorſus inter *filios fratreſque unius Reipublicæ* impoſterum occupemus. Quodſi originis noſtræ, quam ſub *derivationis naturalis* voce fortè complexus eſt, admonere nos in animo habuit, ſciat, potuiſſe ſe defungi hâc operâ erga eos, qui ſuæ originis ſuique ſtatus adeò non ſunt immemores, & quod eos pudeat non inveniunt, ut hortari audeant quemvis aliena inutilius ſcrutantem, proprios in ſinus intueri, & quæ gentis ſuæ jeciſſe initia inglorium non eſt, rectis virtutibus propagare ſtudeat.

Ab Hiſtoricorum haut paucis exploſa ſunt commenta, quæ Civitatis hujus natales â Polonis derivant. Nos *Reipublicæ Polonæ* dignitatem, omni quo decet cultu proſequimur. Sed *Dominam agnoſcere Jurium Fundi & Patrimonii noſtri* ſalvâ conſcientia non poſſumus, qui *unicum in terris Dominum habemus Sereniſſimum Regem Poloniæ*, quibuſque â primo, cui nos ſubdidimus Poloniarum Rege injunctum eſt, *præter Reges Poloniæ perpetuis temporibus neminem pro Domino reputare, niſi illis, nemini obedire*, quosque ſolos idcirco homagii ſacramento veneramur. Membra ſumus unius corporis, in quo ea, quæ nobiscum illud conſtituunt, ſuo quæque loco & honore digna ſunt, ſine imperio alterutrius in alterutrum, quod in ſingula & univerſa non niſi *Capiti h. e. iisdem Sereniſſimis Poloniæ Regibus* competit. Unitus eſt cum inclytâ Republicâ Polonâ *Magnus Ducatus Lithuaniæ*, ſed non arbitramur, quod propterea illam *Dominam* ſalutet. Quare ergo de *Pruſſia Pruſſiæque Civitatibus* aliter ferenda eſt ſententia?

Tituli atque encomia exprobrantur Civitati huic, quæ ab iis, quos ægrè illa habent, cum illorum propria non ſint, nunquam expectavit, neque his diebus demum excogitata ſunt. Conſtant eadem Sereniſſimorum Regum Poloniæ & aliorum Principum atque Summorum in Republicâ virorum teſtimoniis, quibus Civitati huic multò potiora, quàm quæ nunc carpuntur, tributa ſunt, quorum catalogum ne ipſi texamus, decori leges impediunt. Sufficit tot ſcriptis conſignatam inveniri eorum memoriam, qui quantum momenti in hac Civitate ejusque adverſus oſorum technas conſervatione

tione

tione situm sit, dignoscentes, eam Regibus & Reipublicæ Polonæ singulari cum ardore commendarunt.

Fatemur *prærogativarum & Privilegiorum*, quæ ad Regnum quondam attulit, jam antea *Jurium* quæ vocantur *Status*, compos hæc Civitas, confirmationem & aliorum etiam aliquot collationem, *â Serenissimis Poloniæ Regibus* profectam fuisse: Sed quemadmodum hoc ipsum argumento est, fidelitate & meritis aliis Gedanensis Civitatis benignitatem & munificientiam Regiam fuisse provocatam, ita non recordamur, ullum novum jus â *Republica* Civitati huic fuisse tributum, quæ etiam ab istâ Jurium & Privilegiorum suorum confirmationem petere vel impetrare nunquam solita est.

Pergant jam erubescere, qui causæ suæ patrocinium quærere pergentes, dissimulare non possunt, *Jura Incorporationis & alia Privilegia* esse, quibus prætensiones eorum enervamus. Inopinatum omnino est, jura Prutenis communia, qualia sunt quæ Incorporationis vocantur, nullo pretio haberi ab iis, qui ex Prussiæ Indigenis sunt, neque considerari incolumitatem, quam in aliis labefactare conantur, particulam insignem esse suæ, eodem casu ruituræ.

Cæterum hæc Civitas, quantum nunc oppressiones, quibus immergitur, iniquas putat, & quantopere de Jurisdictionis in se incompetenter extensæ malis queritur, tantum aversatur opprimendi alios consilium, tantopere suæ jurisdictionis terminis contenta, in alienam violentas manus injicere DEO & Conscientia teste, nunquam voluit. Tribuit suum cuique, ut idem sibi præstetur, â quocunque justè desiderat. Quæ â Civibus & incolis in hac difficillimâ temporum conversione accipit subsidia, jure, quod ante multa secula exercuit, quodque nec infimis communitatibus denegatur, optimo

optimo exigit. Nemini illa gravia sunt aut incumbunt conferenda, qui Civium beneficiis per indulgentiam Civitatis frui non affectat.

Munimenta Civitatis cuipiam, qui amici nomen non sepofuit, invisa fore hactenus haut suspicabamur. Adversus exercitum Polonum, vel ejus partem illis opus fore, nec credidimus, nec credemus, adeoq; illorum ostentatione, vice stipendii à Milite Regni prætensi, nunquam minas intendimus.

Quid *de obligatione bonorum Civitatum Majorum Prussiæ respectu exercitus Reipublicæ* sentiendum sit, pro nobis dicet *Instructio á Consiliariis & ex equestri Ordine congregatis Thorunii die duodecima Novembris Anno* 1702. *ad Sacram Regiam Majestatem Legato Celsissimo Principi Episcopo Varmiensi* Andreæ Chrysostomo Zaluski *b. m.* data, quam ipsemet Epistolarum suarum Tomo tertio communicavit, quæque non minus ac Oratio Ejusdem die 24. Novembris dicto anno ad Sacram Regiam Majestatem Thorunii publico Provinciæ nomine habita, lectu dignissima est, quâ *Civitatum omnium præcipuè Majorum bona ob omni exactione militari, etiam proprii Reipublicæ militis, solenni legum auxilio, libera esse,* totidem verbis pronunciantur. Ut taceamus *bona patrimonialia Civitatis hujus,* jam ante junctionem cum Regno ad eam pertinuisse, & non modo circa receptum Serenissimorum Regum Poloniæ imperium penes libertates suas conservata ac quodammodo Civitati denuò asserta esse, verum etiam *Serenissimi Regis & Domini Nostri Clementissimi* nunc, & quod Deus faxit, diutissimè feliciter regnan-

regnantis *solenni diplomate*, cui Regni majus Sigillum suppressum est. [*N.*60.] peculiaribusq; protectionis seu *Salvaguardiæ* No. 60.
atq; aliis literis [*No.*61 62.] pristinæ securitati confirmata esse. N. 61-62.

Obtentui sumitur *assignatio* quam *Thesaurus* Regni militibus Reipublicæ in hanc Provinciam tradidisse fertur. Sed quemadmodum illam ignorare possumus, ita quousque *Illustrissimis Regni Thesaurariis* in hanc Provinciam aliquid *assignare* liceat, Statuum ejus & Ordinum sententiâ An. 1661. Nuntiorum ad Comitia Regni Instructioni insertâ & Laudo
An. 1667. [No.63.] quam nostris verbis commonefacere ma- No. 63.
lumus. Quin imo ex præmisiis & fusiùs deductis abundè liquet, præsentibus militum postulatis, si nihil aliud id saltem obstare, *quod probari nequeat superesse ullam contributionem, quæ in illorum aut Reipublicæ usus legitimo Conventuum Generalium hujus Provinciæ placito decretæ fuerint*, & ad quas ideò hæc Gedanensis Civitas stringi jure debeat. Nam quæ *privato ausu* ab aliis *extra ejusmodi Generales Conventus Provinciæ* suscepta aut etiam per vim extorta sunt, nobis invitis, & summâ in contrarium ratione nixis, legem figere posse, quis rerum prudens censor existimabit?

Absit ut â famâ & gloriâ *inclyti Regni exercitus* & tot in eo magnorum Heroum quicquam detractum cupiamus, utve eorum, qui *sanguine quæsita stipendia* debent, nec solverunt, partes in nos recipiamus. Fato adscribimus, & divinæ, quam omnium peccata meruerant, iræ, quod militis Poloni virtus cohibere hostilem potentiam, inter hos belli turbines, ex voto non potuerit, quodque pauca admodum loca in toto Regno suis adeò

tuta fuerint munitionibus, ut occupare ea inimicus exercitus sit prohibitus, si sola *Gedanensis Civitatis mœnia* Divini Numinis favore tecta, & nostris, quæ necessitatum pondera svaserunt, consiliis & actionibus constanter libera excipere placeat. Quantis verò sumptibus ista libertas huic Civitati constiterit, &, si cum cæteris illa procidisset, utrum eo loco, quo per Dei gratiam nunc sunt, ac meliores reddi poterunt, Reipublicæ rationes futuræ essent, quilibet assequetur.

Indulgeat ergo nobis, quæsumus, inclytus Regni exercitus hanc grati animi sui unicam tesseram, atque agnoscat, pluribus numerique vix credendi millionibus Uncialium opus fuisse, ut Gedanensis Civitas, nemine hominum juvante, eluctaretur gravissimis, quibus aliqvoties circumsepta erat, periculis, quæ etiam *ejus æris solutione* redimere coacta est, *quod olim suâ sponsione & evictione Respublica in se receperat.* Quæ omnia cum nullo discrimine, quantumcunque aliis incubuit, si rectè æstimentur, conferenda veniunt.

Nondum ullam tantarum impensarum in præsidiarium nostrum militem, in portus Civitatis commoditatem, in securum eorum omnium, qui minus alibi tuti, intra Gedanenses parietes personarum atq; facultatum suarum securum refugium indepti sunt, collocandarum restitutionem poposcimus. Haut ignari calamitatum, quarum ferax est seculum præsens, parati potius fuimus ad easdem pro nostrarum virium modulo frangendas.

Appellamus omnes, quibus cognitum est quid gestum sit in Conventibus hujus Provinciæ, quique sinceri testes nudæ veritatis esse gestiunt Non culpâ Civitatis Gedanensis evanuit Conventus Generalis Prussiæ ante biennium in hac vicinia & postmodum intra ipsam Civitatem celebratus, neq; per illam caruerunt publicæ necessitates ope, quam obtuleramus

ramus

ramus ad eum usque *Accisarum* numerum, cui parem nullo tempore, quo nota est Prutenis hæc contributio, Civitates recepêre aut præstitêre. Qui si admissus fuisset, maximum levamen attulisset. Comperimus nihilosecius novos strui cuniculos passimque spargi quod Civitas Gedanensis ***invalidorum & ruptorum aliquoties Conventuum Prussiæ*** sit fautrix atque perfectrix. Dicuntur addi alia, quæ honestorum virorum famam minuunt, sive eos quos effi&ti vitii participes reddunt, sive fictionum vitiosos autores respiciant. Forte non esset quod reponeremus, nisi quod reponi solet inconsultis sermonibus, præsertim posteaquam initio statim solennis Protestatio & varia hujus atque reliquarum Civitatum Scripta, si urgebimur, non sine aliorum confusione publicanda, obicem posuerunt: Verùm liceat rogare, nobis ut concedatur, quod negari circa veritatem facti dignoscendam nemini solet nec potest. Scilicet non præsumitur istius indolis negotium nisi ex conjecturis secundùm rerum moralium conditionem evidentibus. Quis autem eâ ratione convincetur a Civitate hâc impendi operam, ut cardines ipsa evellat suæ libertatis, ut occasione, quæ sibi meritò est præcipua, excidens, solutæ juribus libidini relinquatur: Attamen hoc esset quod promotum ivisset, si Conventuum infelix exitus ab ipsa hucusque pependisset.

In responsionis hujus nostræ primis lineis recensuimus, quâ solertiâ majores nostri Conventuum Prussiæ natales & progressus foverint. Quæ hâc ætate nos ut eorum prudentiam imitemur stimulare debeant, binis verbis dicemus. Lex est Provinciæ ut priusquam *novæ contributiones* instituantur, earum quæ *exactæ ultimum* fuerunt publico examini submittatur Calculus. Id, ut alia sileamus, jubent ***Lauda Annorum 1672. & 1679.*** quæ videre est sub [*No.* 64. 65.] N. 64. 65.

Præterea *Conventuum Generalium* hæc eſt utilitas, ut ſi adverſus Jura Provinciæ aliquod irrepſit præjudicium, publicè exponi & publica medela efflagitari, atque ſi aliâ, quam Sacræ Regiæ Majeſtatis autoritate corrigi vel tolli non poſſe credatur, hæc quoque per *Nuntios à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ in Conventu iſtiusmodi Generali electos*, ex præſcripto inſtructionis, quæ Sigillo Provinciæ roboratur, debitè ſollicitari posſit. Quæ omnia cum obtineri nequeant ſine generalium Provinciæ Conventuum ſucceſſu, vel Davus diſcernet, *opprimentisne* an *oppresſi* interſit magis eosdem interverti. Arbitramur inſuper nec aliis ignotas eſſe, quæ ſubinde ad nos permearunt jactantium voces, *eum Conventum Generalem*, *qui noviſſimè Gedani agebatur ex ratione Status debuiſſe reddi irritum*, imò id *agendum fore ne ulli amplius in hac Provincia Conventus ſubſiſtant.*

Eant nunc & Civitatem hanc Gedanenſem ream dicant, quod ſtipendiis careat miles Regni, cum quæ jure à Civitate exigere idem posſit, nulla doceantur, cùm quæ ſpontè obtuleramus, contemptim neglecta ſint & legitima in futurum media induſtriosè præſcindantur.

Non eſt quod *abruptæ Contumaciæ* ignominiâ notetur ſollicitudo, quâ *deforme obſequium* vitamus. Caveant modo, qui nobis inſultant, ne *deformiter obſecuti* dici posſint, mandatis quæ prætexunt, quibus *Regiæ autoritati* atque Juris dictamini congrua obſequia tantopere lædunt, ut ultra quam ipſa, cui innituntur tribunalitia declaratio concedit, poteſtatem ſibi arrogent. Eam enim introſpicienti liquebit

liquebit executionem lati contra hanc Civitatem incompetentis Decreti, exercitui Regni vel ejus parti alicui, minimè omnium esse commissam.

Supervacuum ergo fuit acuere *cognata arma* in territorium Gedanense, quod tunc quidem, cum adversus varii generis mala defendendum erat, iis opus habere videbatur, nunc autem eò iniqviùs iisdem infestatur, quò alienius est à veræ laudis studio *exprobrari*, ut fit, calamitates per eos, qui *avertere* intermiserant. Favebit, confidimus toti, vindicis Dei digitus, & quam reluctantes arripere coacti sumus defensionem, ulterius felicissimo exitu beabit. Eum ut assequamur utq; ab *hostili hospite* Civitatis singulos pagos repurgemus, nihil intactum relinquere constituimus, à sanguine, ad quem effundendum adigimur, planè immunes & de illatâ contumeliâ violatoq; in immensum jure nostro, de cædibus, rapinis, abactis hominibus atque pecudibus, aliisque damnis quibusvis & sævissimis facinoribus satisfactionem plenissimam modis omnibus efficacissimis prosecuturi. Quo nomine coram Orbe universo protestamur.

Ast non *nostra* saltem *causa* agitur, non *Gedanensis* solummodo *territorii*, & qui illud inhabitant colonorum, ob oculos habenda est ratio. *Supremum Jus Sacræ Regiæ Majestatis* à cujus throno & unicâ jurisdictione avellere nos conantur adversarii nostri, *Regia diplomata* Regni Sigillo munita, quæ vix non proteruntur, & *totius* denique *Provinciæ Prussiæ communia jura atque parta Majorum sangvine privilegia*, quæ in Nobis & Nostratibus uno ictu quasi impetuntur, illa sunt, quæ altiùs ad pectora penetrare æqvum est.

Divus Rex Poloniæ Sigiſmundus I. Pruthenis de oppreſſione, quam vicini ex Regno fratres inferrent querelas exponentibus conſuluiſſe legitur: *Ne ſua ſibi eripi paterentur ipſi: Id enim ſi fieret, non habituros, quod aliis imputarent.* Memorabile etiam eſt judicium atque monitum quod in *Epiſtolâ* quâdam à *Fabiano Czem* Palatino Mariæb: Viro, quem avita proſapia & in Patriam hæreditarius amor diſtinxit, *ad Senatum hujus Civitatis An 1588. d 3. April. ſcriptâ*
No. 66. exhibetur [*No.* 66.] Nec deſunt alia remotioris viciniorisq; ætatis exempla & ad curandum officium incitamenta publicis
N. 67-70. monumentis inſerta, quorum aliqua ſaltem [*No.* 67 - 70.] depromemus. Hæc reſpicere decet, eo, quo vivitur, Seculo, atq; in hoc malorum ſine fine tam atroci cumulo dare operam, ne turpem tolerantiam demiretur, ſocordiamve taxet, quam habituri ſumus poſteritas.

Neminem de rebus Provinciæ aliquantiſper edoctum fugiet, quos in illâ progreſſus ſumpſerint, quæ contra *hanc Gedanenſem Civitatem* primùm exerceri â *Crucigerorum Ordine* cœperant. Intueantur præſentem hujus Pruſſiæ conditionem, quotquot in eâ ad prævidendam futuri temporis fortunam apti ſunt, eſſe autem aptiſſimos plurimos & agnoſcimus libenter & gratulamur nobis, atque judicent, an non *in Civitatis Gedanenſis conſervatione* ſitum ſit univerſæ *Pruthenæ libertatis* momentum inſigne, aliis relinquimus dicendum, maximum, poſteaquam uti jam innuimus, præter eam, Divino Numine ita permittente, nullam habet hæc Provincia, quæ peregrinum imperium intra mœnia ſua aut recipere hoc bello coacta non fuerit, aut â ſimili ærumna adhucdum æquè tuta æſtimari queat. Examinent, quid rebus ita poſitis ſecuturum eſſet, ſi hæc Civitas,

tas, nullo juris & justitiæ respectu habito, ulterius omnibus exueretur mediis, ex quibus ingentes illi sumptus conquirendi sunt in suam tutelam? Fatebuntur dubio procul graviora se ipsos manere, quam quæ nunc sustinent, simul ac impunè concedetur à Civitate Gedanensi sumere initia exigendi quas *privatorum aliquot arbitrium* definivit contributiones, atque armatâ licentiâ tegere funestissimum propositum, *Conventuum omnium generalium* perimendi sive *necessitatem* sive *potestatem*.

Cum itaque de *communi periculo* superando certari appareat, cùm quæ ad destruendam libertatem nostram sociantur manus, *ad pupillam totius Provinciæ* protendantur, quidni speremus, quod sua nostris studia, consilia atque auxilia candidè & seriò sint juncturi *inclyti Status & Ordines harum terrarum*, quò nostris juribus, Privilegiis & libertatibus salvis, facilius feliciusq; reliqua servari contingat.

A Sacrâ inprimis *Regiâ Majestate Domino nostro Clementissimo* humillimè nobis promittimus, quæcunqne proficisci possunt ab innatâ æquanimitate & supremâ autoritate ad bello civili eripiendas miseras terras, tuendosque subditos, fidelitate, &, quam in Regii verbi ac juramenti Sanctimoniâ reponunt, illibatâ fiduciâ commendatissimos.

Reipublicæ Polonæ Universæ Senatores & Proceres utriusq; Ordinis tantâ consummatissimæ Prudentiæ & justitiæ famâ coruscant, ut de reverentiâ quâ Eosdem perpetim suspicimus, remisisse censendi essemus, si dubitare sustineremus, quin expensis causæ nostræ superius enumeratis argumentis, quæcunque violenter adeo adversus nos ausa accipient indignè laturi suæq; interventionis beneficio præpedi-

pedituri sint, quo minus funesta hæc Scena denuo repetatur & ad tristiorem ducatur catastrophen.


Neque aliud à cæteris quibusvis Regni & annexarum Provinciarum incolis, sago & togà illustribus, expectare fas est, quàm mutuæ necessitudinis fructum, benevolamq; opem, quâ dum nostræ libertatis ruinas sufflaminant, suæ firmitatem certiorem se habituros esse sine negotio intelligunt. Deum enim testamur cordium exploratorem, quicquid insusurrant qui nova vocabula *dismembrationis* consuunt nec fuisse nobis animum, nec esse, *sejungendi* nos à corpore, cujus membra nos fecerunt bene deliberatâ & liberrimâ voluntate Majores nostri, *cujusque vinculi asservatio* unicum polare sidus fuit, ad quod periculosissimis in fluctibus, intra hos duodecim annos, nostris unicè remis navigantes respeximus, successu toti Reipublicæ saluberrimo. Neque nunc circa alia desudamus, nisi ut in *hâc carissima compage* persistere nobis liceat, iis Juribus, iis Privilegiis indemnibus, quæ ad illam attulit, quæve sub illa meritis haut vulgaribus acquisivit & possedit hæc Civitas. Quorum neutra cùm infringi æqvâ mente sineret infimus quivis in Republicâ, facile est judicium, annon utraque nobis auferre satagentes, singulari quasi contentione aliquâ nobis edicere videantur, quod à *primævâ illâ incorporationis Unione* segregatos, & quibus olim ad eam pertracti sumus injuriis retroinductis, ab *Aqvilæ Polonæ alis* ad *antiquæ crucis* meditamenta relabi nos mallent.

Cordato cuivis, cujuscunque ille telluris sit indigena, quæ dicenda & exponenda impræsentiarum habuimus, procul amore & odio lecturo, nihil erit pronius, quàm segregare in nostris adversariorumq; actionibus, turpia â laudandis, ab iniqvis æqua.

Illi

Illi verò inter *exteros*, ad quorum domesticam salutem Civitatis hujus propiùs aliquantulum accedit salus, quorumque Commoda nobis jacentibus non levem subitura esse casum, notius est quàm ut deduci oporteat, haut dedignabuntur porro nobis adesse istis curis & favoribus, quibus, quod Civitas hæc integritatis suæ magnam partem eousque debeat, meritò fatemur & gratissimi celebramus.

Hanc nobis extortam responsionem publicis atq; autenticis Documentis illustratam, Nos PræConsules, Consules, Scabini, Centumviri totaque Communitas Civitatis Gedanensis, *quantum opus fuerit, Remanifestationis loco haberi volumus, eamque Actis quibusvis Castrensibus vel Civilibus, quandocunque videbitur, inferendi facultatem integram nobis omni meliore modo reservamus.* Datum in Curiâ Gedanensi die decimâ quartâ Novembris: Anno Millesimo Septingentesimo Duodecimo.



LUCANUS

Lib. VII. v. 374.

CRedite qui nunc est populum, populumque futurum
Permistas afferre preces. Hæc libera nasci,
Hæc vult turba mori.

DOCUMENTA

No. I.

WSzem wobec y kazdemu Zoſobna oſobliwie Jaſnie Oſwieconym, Jaſnie Wielmoznym, Wielmoznym, Ichmciom Panom Senatorom, Urzędnikom, Dignitarzom, Całemu Rycerſtwu: Tudzieſz Przeslachetnym y Sławetnym Magiſtratom, Miaſtom *Primæ & Secundæ Claſsis* Przeſwietney Prowinciey Pruskiey, przy Zaleceniu zyczliwych Usług moich do wiadomoſci donoſzę. Niechay nieuraza wyſokie Jurisdykcye, ktorym *de Jure & conſvetudine datum, ſalvis per omnia Juribus Majeſtatis & Libertatis, Univerſały in omnem caſum* wydawac, ze partykularny Urzędnik, terazniey ſzym oſwiadcza ſię Liſtem; przed Stanamy tey Prowincyi. Niechay nie gorſzy wszyſtkich y do płonnych nie przywodzi Interpretacyi, ze będąc po tak wiele razy z znacznemi częſciami Woyska do tey Prowincyi z woli y Ordynanſu I. O. ImPana Kaſztellana Krakowskiego Hetmana W. Koronn. ordynowany nieogłaſzałem wniſcia tego. Przychodziłem *tanquam Filius ad Patres, Servus ad Dominam* z zwykła Submyſſia

 cum

cum Jure petendi Krwawych Zaſlug. Odbierałem tak wiele dobroczynnych Dowodow, z należytym Woyska *etiam in illo turbine rerum* ukontentowaniem. Przyczynę oſwiadczenia tego abrupta contumacia Miaſta Gdanska dała Okazya przy wniſciu terazniey ſzym do tego Manifeſtu, ktorym *luci Publicæ*, *Cauſas malorum*, *Convulſiones Legum*, *Damna emergentia*, Krzywdę Woyska, brevi podac muſiałem. Jezelitedy intuitu Przechodu terazniey ſzego *per incommoda* kogo diſobligowac przyſzło, przepraſzam kazdego zoſtawuiąc wolne dochodzenie ſzkod u Miaſta tego. Juz to od Seymu Lubelskiego áz do terazniey ſzego ſzukało Woysko *ſolita modeſtia* u miaſta tego *deſervitam mercedem*, *in fundamento* tak wielu Kommisſii, Deklaracyi Trybunałow Skarbowych, Seymikow, Ziazdow, Uchwał, Liqvidacii, uproſić nigdy co *Juris & æquitatis* było nie mogło. Dzieſięc lat przechodzi, iako *dies rogationis* odprawuię, *interpoſita authoritate* Przeſwietnego Senatu tey Prowincii & *valida perſvaſione* Wodza ſwego, znac ſię do tego niechciało co mercenario nalezało. Prawami *Incorporationis*, y innemi Przywileiami *Indulgentia* Krolow y Panow składało ſię, & *oſtentatione* Fortifikacyi ſwoiey płaca Woyskowa comminando. Jakoby Rzecz Poſpolita Domina *Jurium Fundi & Patrimonii* tegosz Miaſta nieznała, y naturalney Deriwacii

riwacii y Primogenitury, hoynoſcią ſwoią kreowaney poiąc niemogła. Miaſto ukontentowania roznemi tytułami *& vana gloria tumet*, iako tez antemuralePolski, Ozdoba Narodu, utrzymanie całoſci naſzey. Ktokolwiek zas z Poſtronnych Woysk naſtępował, *ſine diſcrimine Inimici & amici, Hoſpitis & Hoſtis*, doſyc ſię hoynie ſzacowało, y wſzyſtkie *anteacta dolendo & infauſto exemplo in ulteriori tractu recitanda in convulſionem Majeſtatis & Libertatis* przyięła, *non mœniis & legibus tuta hoſtes adoravit, Cives non amore ſed armis proſecuta*. Wyliczyc wſzyſtkiego, co ex orbita wypadło, *contra Statum & Jura* ledwie podobna. Jako przez ten cały czas Nieſzczęśliwego Zamieſzania Jurisdykcye Duchowne y Swieckie *ſibi violenter appropriavit, Status & conditiones varias oppreſſit*, Cła, Akcyzy, y inne extorſye Autoritate Ratuſza ſwego impoſuit, iednym ſłowem Separacyą y dismembracyą iakas *a Statu uſurpavit*. Nie wchodząc zatym *in ulteriores cognitiones cauſarum*, zoſtawuiąc ie Sądom I. K. MCi y Rzptey. Konformuię ſię do Dekretu y Deklaraciey Kommiſſyi Radomskiey, y do wyraźnego Ordynanſu J. O. ImPana Krakowskiego Hetmana W. Koronnego, abym na Windykacyą Krzywdy Woyska y Uchwał *ex mente* Rzptey *poſtanowionych*, część Woyska według Prawa, na exe-

kucya *super renitentes*, ordynował, ktora ze *in numerosa assistentia* dla Uporu tegosz Miasta *cum incommodo Incolarum* byc musi, manifestuię się przed Stanami teyze Prowinciey, ze nie zemnie wina. Jezeli tedy iakiekolwiek *damnum emerget*, nie Woysku lecz *Causatoribus* przyznano, y na nich *ordnaria Juris via* dochodzono. Protestuię się oraz przed samymze Przeslachetnym Magistratem y wszystkiemi Obywatelami Miasta Gdanska, ze *non animo hostili* tę ordinuię Exekucya, obliguiac *amico pecto*re, aby się dobrowolnie znało *quæ Justitiæ & æquitatis sunt.* In quantumby zas strzez Boze oriri miała iaka oppozycya *armorum, violentia & hostilitas*, przymuszony będę takowych wszytkich, iako nieprzyiacioł Oyczyzny y nieposłusznych Prawu Pospolitemn Jure militari persequi. Aby tedy ten Uniwersał y Manifest do Wiadomosci wszystkich doszedł, on po Grodach, Miastach y Miasteczkach publikowac zaleciłem. Działo się w Tczewie *d. 26. Octobr. Anno 1712.*

Versio præcedentis Manifesti, quæ in eo Latina erant, ut erant, relictis.

UNiversis & singulis, inprimis Reverendissimis, Illustrissimis, &c. Senatoribus, Officialibus, Dignitariis & Universo Ordini Equestri, ut & Nobilibus & Spectabilibus Magistratibus Civitatum primæ & secundæ classis

classis Inclytæ Provinciæ Prussiæ cum oblatione servitiorum meorum ad notitiam deduco: Ne offendat altas Jurisdictiones, quibus de jure & consuetudine datum, salvis per omnia juribus Majestatis & Libertatis, Universales Literas in omnem casum extradere, quòd particularis Officialis præsentibus se manifestet Literis coram Statibus hujus Provinciæ.

Non debet cuipiam hoc esse scandalosum, & ad vanas ansam præbere interpretationes, quod quamvis toties cum copiis militaribus jussu Illustrissimi Domini Supremi Exercituum Ducis hanc ingressus fuerim Provinciam, adventum hunc meum publicè non significaverim, prout ad præsens id facio, siquidem tunc adveneram ut filius ad Patres, servus ad Dominam cum solita submissione & jure petendi sanguine parta stipendia. Expertus sum freqventia benevolentiæ documenta cum debita copiarum Militarium in illo etiam rerum turbine satisfactione. Causa hujus notificationis abrupta contumacia Civitatis Gedanensis, quæ etiam occasio fuit hujus Manifesti, quo luci publicæ causas malorum, convulsiones Legum, damna emergentia, injuriam Exercitus brevibus exponere coactus sum. Si forte in quempiam transitu hocce injurius fuero, deprecor, & cuivis liberam relinquo facultatem damna à Civitate ista repetendi. Jam inde à Comitiis Lublinensibus usque ad præsens tempus Exercitus Regni poposcit solitâ modestiâ deservita stipendia à Civitate illa in fundamento tot Commissionum, declarationum Tribunalis Thesauri, Conventuum, Congressuum, Laudorum, liquidationum, neque tamen precibus, quæ juris & æquitatis erant, consequi potuit. Decem anni elapsi sunt quòd dies rogationis institui interpositâ authoritate Inclyti Senatus hujus Provinciæ & validâ persvasione Ducis nostri; sed Civitas solutionem mercenario militi debiti detrectabat. Tutata se juribus Incorporationis & aliis Privilegiis, indul-

gentiâ

gentiâ Regum & Dominorum, oſtentatione munimentorum ſuorum ſolutionem militi comminando, acſi Reſpublica Domina Jurium Fundi & patrimonii, Civitatem hanc non noſſet, & naturalem derivationem atque primogenituram liberalitate ſuâ creatam concipere non poſſet. Loco ſatisfactionis militi debitæ, variis titulis & vanâ gloriâ tumet, quòd ſit antemurale Poloniæ, decus nationis & retinaculum integritatis noſtræ. Cùm vero aliquæ exteræ copiæ militares ipſi appropinquarent, ſine diſcrimine inimici & amici, hoſpitis & hoſtis in conferendis contributionibus ſatis liberaliter ſe exhibuit, & omnia anteacta dolendo & infauſto exemplo in ulteriori tractu recitanda, in convulſionem Majeſtatis & Libertatis, recepit, non mœniis & legibus tuta, hoſtes adoravit, Cives verò non amore ſed armis proſecuta. Enumerare omnia quæ ab orbita contra Jura & Statum deviarunt, vix poſſibile. Illa enim eſt, quæ durantibus infelicibus turbis Juriſdictiones Spirituales & Seculares violenter ſibi appropriavit, Status & conditiones varias oppreſſit, Telonea, acciſas, & alias extorſiones authoritate Prætorii ſui impoſuit, uno verbo ſeparationem & diſmembrationem à Statu ſibi uſurpavit. Abſtineo ab ulterioribus cauſarum cognitionibus, relinquens eas dijudicationi S. R. Mtis & Reipublicæ. Conformo me Decreto atque Declarationi Commisſionis Radomienſis & expreſſo mandato Illuſtrisſimi Domini Caſtellani Cracovienſis Supremi Exercituum Regni Ducis, ut ad Vindicationem Injuriarum Exercitûs & Sancitorum ex mente Reipublicæ conſtitutorum partem Exercitûs ſecundum jura pro executione ſuper renitentes mitterem, quam quia in numeroſa asſiſtentia ob pertinaciam illius Civitatis cum incommodo incolarum fieri oportet, Manifeſtor coram Statibus hujus Provinciæ, me non eſſe in culpâ. Si quod igitur damnum inde emerget, non copiis militaribus, ſed

cauſa-

causatoribus hoc tribuant & ordinariâ juris viâ contra eos procedant. Simul coram Prænobili Magistratu & omnibus incolis Civitatis illius Gedanensis protestor, quod animo hostili hanc Executionem non mitto, obligando eos amico pectore, quò ultrò ad ea quæ justitiæ & æquitatis sunt condescendant. Quodsi verò quod Deus avertat aliqua armorum oppositio, violentia & hostilitas ab ipsis perpetrata fuerit, invitus tales omnes tanquam patriæ hostes & Juri communi inobedientes jure militari persequi cogar. Ut verò Universales hæ literæ atque Manifestatio ad omnium notitiam devenire queant, in Castris Civitatibus & oppidis eas publicari requiro. Dabantur Dirsaviæ die 26. Octobris An. 1712.

No. 2.

Ex Instructione quam Status & Ordines Prussiæ ex Conventu Generali Graudentinen: d. 9. Decembr. An. 1608. Suis ad Comitia Varsaviensia Nuntiis dederunt.

NE in causis Prussiæ notabilibus inter quas non infima est *militum conscriptio & in has Terras introductio* S.R.Ms. absque *consilio & consensu* Dominorum Consiliariorum aliquid statuat, operam dabunt procurabuntque.

No. 3.

Ex Gravaminibus Terrarum ac Civitatum Prussiæ S.R.Mti. per Nuntios earum oblatis in Comitiis Varsav. 1613.

Artic. VIII. Ut ne stationes militibus extraneis imposterum assignentur in Prussiâ absque scitu & consensu Ordinum Prussiæ.

No. 4.

Ex Instructione Statuum & Ordinum Prussiæ Nuntiis ad Comitia Varsaviensia ex Conventu Generali Mariæburg. d. 9. Matt. 1616 datâ.

Cùm S. R. Mtas militibus antehac sine Ordinum Prussiæ consensu stationes contra Jura Terrarum Prussiæ designarit, instabunt Domini Nuntii, ne imposterum talia, *quæ causas notabiles concernunt*, & hisce terris damna graviter inferunt *absq; scitu & consensu Ordinum Prussiæ* S. R. Mtas decernere velit: tum ut milites, qui Wibranci appellantur, in officio contineantur & Constitutio An. 1613. in hoc negotio scripta cassetur, procurabunt.

No. 5.

Ex Laudo Conventus Generalis Mariæburgens. d. 25. Junii 1648.

Nos Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali Mariæburgi congregati — vigore præsentis Laudi constituimus & ordinamus ut — nulla ratione permitti id à nobis debeat, quò in his terris cuipiam exercitui Copiisue Militaribus undecunque ex Regno adventantibus ulla stativa, lustrationumque loca, quæ forte vel eisdem assignata ac distributa, vel assignari distribuive possint, constituere sit integrum. Quinimo Nobis invicem promittimus Nos quovis meliori modo insolita ejusmodi onera & Angarias à terris hisce amoturos ac propulsuros esse. In præmissorum fidem sigillum harum Terrarum præsentibus est subappressum. Act. & dat. Mariæburgi in Conventu Generali ante Convocationem Regni d. 25. Junii An. 1648

No. 6.

No. 6.

Ex Responso quod Nuntio Regio datum est à Statibus & Ordinibus Prussiæ in Conventu Gener. Mariæb. 16. Febr. 1650.

EO haud paucarum Copiarum militarium, præsertim quæ sub signis maximam partem Generosorum Maydelii, Pozovij, Oskunij, & Sebastianscij aliorumve militant, & in his oris in hunc usque diem hærent, adolevit licentia, ut nulla ferè harum Terrarum loca intacta reliquerint, subditosque & incolas tam villarum quam Oppidorum nullo etiam inter bona Regalia & Nobilitaria servato discrimine per iniquissimas avarissimasque exactiones, quæ plurimarum Contributionum vicem supplere potuissent, cum extrema eorundem desolatione ac pernicie penitùs exhauserint, ipsasq; etiam vias publicas frequentissimis latrociniis & deprædationibus hostium more ne quid tantæ insolentiæ deesset, iter facientibus infestas reddiderint. — — Quæ cùm eâ vel maximè de causâ tanto gravius afficiant Status & Ordines, quod ad ferendas vacillantibus maximè Regni rebus maturas suppetias fortunasque suas atque opes alacriter contulerint, proindè Sacræ. & Serenissimæ Regiæ Majestati tanto ardentiùs & confidentius supplicant, ut clementissimam harum Terrarum habere rationem istamque cladem avocatis abductisque quantocyus iisdem Generosi imprimis Maydelii aliorumque cohortibus non solum ad præsens avertere, sed & imposterum providere benignissimè dignetur, ne Terræ Prussiæ ullis posthac ***citra consensum ac scitum Statuum ac Ordinum*** earundem ex præscripto Constitutionis Anni 1613. nec non Laudorum harum Terrarum aggraventur ac premantur Stativis &c.

No. 7.

Ex Responso quod Nuntio Regio datum est â Statibus & Ordinibus in Conventu Generali Mariæburgensi d. 26. Aprilis 1650.

IN tantum enim Militis istius (Colonelli Meidelii) excrevit jam licentia, ut non per Regalia solum, Spiritualia, ac Nobilium impunè adeò grassari bona satis ipsis sit, sed & quicquid facultatum penes eorundem subditos succive ac sanguinis possit esse reliquum, illud omne effreni eorundem pateat rapinæ ac extorsionibus, minorum verò Civitatum nonnullæ in obsidione veluti aliqua censeantur constitutæ, cum quæ ad victum pertinent in villis pariter ac viis stratisque publicis, quas nihil magis, quam crebris adeò infestari deprædationibus, latrociniis ac internecionibus, id quoque durante ~~quoque~~ hoc Conventu cum certo cuidam Civi Gedanensi in via Regia aliquot millia florenorum polonicalium vi ac violenter eripuissent, patrare ausi sunt, eisdem intercludantur ac intercipiantur omnia, ut proindè humillimis ardentissimisque Sam. Ram. Mtem. exorent precibus Status & Ordines, quô non solum Terras hasce præmemorati militis tàm diuturnis, ac non nisi extremam eisdem minitantibus perniciem primo quoque tempore, *nisi & ad ipsam paulatim contribuendi redigi eas necessum fuerit impossibilitatem*, abducto ex iisdem milite eximere angariis, sed nec imposterum istiusmodi contra expressum legis publicæ Anni 1613. tenorem onerari easdem permittere clementissime dignetur Stativis.

No. 8.

No. 8.

Ex Responso quod Nuntio Regio datum est à Statibus & Ordinibus Terr. Prussiæ ex Conventu Generali Graudentinensi d. 12. Oct. An. 1650.

QUantum verò novas pro commeatu seu victualibus militi providendis Contributiones attinet, minimè sperant Status & Ordines, se ad aliquas ejusmodi Terris hisce earundemque Juribus minus convenientes, sed nec ullo unquam tempore antehac in eisdem frequentatas obligatum iri Contributiones, quinimo humillimè id â Sua Regia Majestate deprecantur precibus, quo habitâ benignissimâ ratione, tam prædictorum jurium, quibus ab ejusmodi collectis & hospitationibus expressim Terræ hæ exemptæ sunt, quam attritarum earundem virium, quibus *si quid adhuc inerat reliquum, crebris militum Generosi Præfecti seu Colonelli Meidelii exactionibus nec non & aliorum indesinentibus stativis & transitibus exhaustum est omne*, tum quod ad sublevanda Regni onera partim milite, partim verò insigni pecuniæ vi haud parum hactenus attulerint adjumenti, â novis hisce ac insolitis contribuendi generibus liberæ eæ reddantur & immunes.

No. 9.

Ex Responso quod Nuntius Regius accepit à Conventu Generali Mariæb. d. 22. Nov. Anno 1650.

ILlud quoque humillimè à Sua Regia Majestate rogant Status & Ordines ut sicubi imminentibus periculis militem conscribere ipsa fortè id expostulaverit necessitas, Sua Re-

gia Majestas illud ita clementissimè disponere dignetur, quo in Palatinatu hoc cuivis suo exequi sit expeditum, cæterum verò nulla in his Terris *citra consensum eorundem Statuum & Ordinum* juxta constitutionem Anni 1613. â Sua Regia Majestate assignentur stativa.

No. 10.

Ex Responso quod Nuntio Regio datum est â Conventu Gener. Graudent. d. 16. Julii Anno 1674.

ACcedit non minor hospitationum militarium & vagantium continuæ perditiones Legionum pressura consumens peste magis universum hunc populum qui se ad præsens coram Sua Regia Majestate Va. querulantem ex hoc Conventu sistit. Miserebitur Rex & Parens Noster Clem. tabescentis provinciæ & de suo flore cadentis, quod apud Sacram Regiam Majestatem Vam. humillime deprecantur Status & Ordines harum Terrarum & Regio, commendant miseriam communem respectui.

No. 11.

Ex Instructione quam ad S. R. Mtem. Ablegatis Suis Status & Ordines Terrarum Prussiæ dederunt in Conventu Generali Graudent. d. 6. Februar. 1651.

SOllicitè hactenus nec sine intimis S. R. Mtem deprecatos fuisse Status & Ordines suspiriis quo Stativa militaria indebitæque hospitationes *à quibus per immunitates suas liberæ*

beræ alioqui ac exemptæ sunt ab his averterentur terris idque a Sacrâ Regiâ Majestate impetrasse se arbitratos ne hoc ipso denuò gravari eas oportuisset onere: Sed vix ab eo liberatas novas identidem easdemque duriores experiri se eo nomine adversitates, cum seu qui in dies conscribitur miles, seu ex aliis Regni eductus partibus, nullo penitus habito seu Regalium ac Spiritualium seu Nobilium ac Civitatum bonorum discrimine optima quævis pervagatur occupatve loca, novoque planè ac inaudito exemplo aut cumulatis ac reiteratis tot ordinationibus aut *sub obtentu nescitur á quo non subscriptarum literarum seu verius chartarum* nullis etiam munitus Regiis Universalibus importunâ stativorum exactione adeò Terris his earundemque in universum Incolis non sine extremo ac irreparabili eorum dispendio incipiat esse gravis, ut nisi Sacra Regia Majestas tempestivum aliquod idemque indilatum malo huic magis ac magis indies ingravescenti reperire benignissime dignata fuerit remedium, nihil certius futurum sit, quam exhaustas prius tot alioqui contributionibus Terras tam ingentibus & indesinentibus prorsus militum extorsionibus penitus eas succubituras esse. Quod sicuti sublimi ac verè Regio Sacræ Regiæ Majestatis humillime subjicere Status & Ordines judicio, ita ardentissimis à Sacrâ Regiâ Majestate subjectissimisque id efflagitare eos precibus, quo Sacra Regia Majestas præsentem quantocyus *Terris his*, *quæ & sustentandis militibus & exsolvendis stativis adeoqve etiam pendendis insimul contributionibus nullum porro, si, qvod Deus benigne avertat, aliqua ipsismet acciderint pericula, habituræ tutandæ securitatis propriæ subsidium, sufficere neutiquam possunt*, medelam aliquam seu moderationem ea in parte clementissime adhibere dignetur.

No. 12.

No. 12.

Ex Instructione Nuntiis ad Comitia ex Conventu Generali Graudent. d. 21. Octobr. Anno 1652. data

IMpossibile est Statibus & Ordinibus acerbissimum cordis dolorem, quem conductus ad defensionem Reipublicæ & partim in Terris Prussiæ conscriptus, partim in easdem submissus miles indies magis magisque exacuit, intra modum & brevitatem verborum redigere. *Universa Borussia humillimè Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ pedibus advoluta, per vulnera Christi opem petit contra eos, qui eidem prout & toti Reipublicæ periclitanti auxilium ferre deberent, & qui Contributionibus harum Terrarum magna ex parte hactenus sustentati, sanguinem quoque & intimam medullam fidelissimorum subditorum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ exsugunt.* Iam indè ab aliquot annis ea fuit Terrarum Prussiæ infelicitas, ut pacem habere videantur, & ab insolenti Reipublicæ milite plus quam hostilia patiantur. Subsecuta est indè hujusmodi harum Terrarum desolatio, ut jam non eadem ejus facies appareat. Ipsa agrariarum Contributionum nec non accisarum diminutio evidenter docebit, quanto cum damno Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ & Reipublicæ miles in tanto numero Terris hisce Prussiæ continuè incumbat. Miserrimi subditi, omni tenuitate fortunarum suarum exuti, non jam singuli, sed in eo numero ut villas desolatas relinquant, atque aliò, ubi bella maximè fervent, refugere, quam in hoc lugubri theatro pacis (ubique quam hic tutiores se futuros sperantes) diutius remanere malint. Neque ullum est dubium, nisi quantocius Sacra Regia Majestas Vestra Terris hisce subveniet, easdemque à tam intolerabili onere liberabit, ac Statibus & Ordinibus

nibus meliori Ordine & disciplina conducendi militis in usum Reipublicæ facultatem concedet, nullam ex iis utilitatem vel defensionis sub ingruenti aliquo periculo possibilitatem sperandam amplius aut expectandam esse. Neque tamen minus afficit Status & Ordines ea militum eorundem insolentia, quod nullis attentis juribus & libertatibus bonorum Terrestrium, eadem æque ut alia quævis contra novissimas etiam Constitutiones Regni invadere & subditos opprimere atque fugare importunis exactionibus suis præsumant. Neque cum Nobilitate mitius quam cum Civitatibus procedunt. Imo ipsam etiam stratarum & viarum publicarum securitatem extremo omnium periculo crudeliter infestant. Hæc utique cum vel lapidem movere possint, nullatenus ambigimus, quin mitissimum Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ animum commotura sint, maximè cum *omnes conjunctim unanimi voce hac in parte Regium remedium flagrantissimè implorent, Clerus, Nobilitas, Civitates*, & illi quos maximè ea afficit calamitas plebs rustica, cujus tamen non postrema ratio habenda est, cum Contributionibus, illis exinanitis, ratio constare non possit. Submisso itaque devotionis cultu rogant Sacram Regiam Majestatem Vestram Status & Ordines, ut huic contagiosissimo malo salutarem adhibere manum, & omnes quicunque in Terris hisce militem collectum habent, benignissimè cum eodem avocare, neque alios huc ad conscribendum novum militem assignare, sed Statibus & Ordinibus cogendi militis in usus Reipublicæ facultatem committere, & Commissarios dijudicandis excessibus indigenas harum Terrarum designare dignetur; *tum etiam modos inire Statibus & Ordinibus benignissimè permittat, quibus insolentiæ modernorum militum sine indignatione Sacræ Regiæ Majestatis Vræ. resistere possint Status & Ordines.*

No. 13.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali Graudentin. congregati, Notum testatumque facimus, quorum interest, universis & singulis, quod cum *ob ingentes militum depactationes & diuturnas oppressiones ad eam Terræ hæ sint redactæ sortem, ut omnibus penitus facultatibus subditi Earundem sint exhausti, nec habeant unde vitam sustentent, ne dum ut ad avertenda imminentia hisce Terris pericula quicquam in publicum conferre possint;* Hocce tempore autem nonnulli licentiosi milites reperiantur, qui etiam absque *legitimis* assignationibus stationes exigere præsumunt, id circo unanimi omnium consensu præsentis Laudi vigore ordinandum & ad cujusvis notitiam id deducendum esse duximus, quod inhærendo *Juribus publicis, immunitatibusq;* Nostris nemini ex militibus, nisi quem forte consensu Nostro in proxime futuris Comitiis sustentandum in nos receperimus, ullas stationes, exactionesque in Terris hisce tam diu donec Sacræ Regiæ Majestatis declaratio eo nomine subseqvuta fuerit, permissuri simus. In præmissorum fidem sigillum harum Terrarum præsentibus est subappressum. Act. & dat. in Conventu Generali Graudentin: die 8. Martii Anno 1653.

No. 14.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Generali Conventu Mariæburgi congregati, notum testatumque facimus, quorum id scire interest universis & singulis; Quod cum nonnulli Reipubl. militiæ superiores & inferiores Officiales eo interdum deveniant audaciæ, ut licet certas ad conscribendos milites, mediantibus Regiis Universalibus sibi habeant assignatos Palatinatus & Districtus,

ctus, iisdem non contenti ad alios descendere atque adeo etiam Terras has variis hospitationum, stativorum hybernorumque infestare exactionibus, contra Sacræ Regiæ Majestatis Domini Nostri Clementissimi ordinationem voluntatemque non vereantur, securitati harum Terrarum belli injuriâ ad extremam desolationem ferè redactarum, convenire existimaverimus, ut prædictorum militum insolentiis, aliorumque licentiosorum hominum grassationibus, tempestivis obviam eatur mediis. Proinde autoritate præsentis Conventus, inhærendoq; Sacræ Regiæ Majestatis circa hoc negotium ad Illustrissimos harum Terrarum Palatinatus uti & Magnificum Dominum Christophorum Koricki, Vexilliferum Kioviensem, Sacræ Regiæ Majestatis Aulicum ac Cameræ familiarem Excubiarumq; Generalem, benignissimis mandati literis, Regniq; Comitiorum proximè præteritorum Constitutioni ad refrœnandas has militum excursiones aliorumq; licentiosorum hominum insolentias certos ordinamus Rotmagistros, videlicet — — iisq; Generosis Dominis Rotmagistris hanc concedimus damusque facultatem, ut habito cum præfato Magnifico Excubiarum Generali super ea re ulteriori communicatione, *adhibitâ forti Nobilium ac Præsidiariorum militum manu supradictorum grassantium militum nec non aliorum licentiosorum hominum illicitos Legibusq; prohibitos ausus, omnimode coercere debitamq; cuivis requirenti securitatem præstare allaborent*, delinquentesque Officiis Castrensibus, qui Nobiles fuerint, plebejos verò Officio civili, pro dijudicandis ipsorum delictis proque delictorum gravitate puniendis exhibeant. Licitum ac integrum quoque esse volumus *cuivis privato à licentiosis istis grassatoribus aut securitatis publicæ violatoribus, vi aut injuriâ affecto quibuscunq; poterit justis resistere mediis, delinquentesq; captivare* & officiis, si Nobiles fuerint, castrensibus, si vero plebei, civilibus exhibere justitiamque de iisdem requirere, quam

etiam indilate à quovis officio præſtari cupimus. Non derogando tamen hoc Laudo ordinariis Illuſtrisſimorum Dominorum Palatinorum Jurisdictionibus. In præmiſſorum fidem Sigillum Terrarum Prusſiæ præſentibus eſt ſubappreſſum. Act. & dat. Mariæburgi d. 6. Februarii Anno 1662.

No. 15.

Ex Inſtructione quam Status & Ordines Terrarum Prusſiæ ſuis ad inſtantia Comitia Varſavienſia Nuntiis dederunt in Conventu Generali Mariæb. 22. Octobr. 1664.

STativa, contributiones hybernales, nec non tranſitus, hoſpitationes militares, ut juxta mentem Inſtructionis Regiæ penitus tollantur & abrogentur Illuſtres Magnifici ac Generoſi Domini Nuntii diligenter providebunt atque eas cum Regni Ordinibus inibunt rationes ut exercitus Reipublicæ inter Palatinatus Regni diſtribuatur, quo eidem tantò facilior ex quolibet Palatinatu præſtari poſſit perſolutio.

No. 16.

Ex Inſtructione Terrarum Prusſiæ Nuntiis ad Comitia Varſavienſia in Conventu Generali Thorunenſi d. 11. Octobr. 1666. datâ.

VT bona Regalia, Spiritualia, Terreſtria atque Patrimonialia à ſtationibus, pernoctationibus, tranſitibus, hybernis aliisque aggravationibus & exactionibus militaribus, nec non inſolitâ atque contra Leges aliquoties per annum exactâ panis hyemalis contributione liberentur, utq; pro-

pter

pter præfatos aliosque milites signanter — — patratos excessus illatoque damna ut & incendium Civitati Covaloviensi, ubi ordinariè Conventus particulares celebrari consueverunt, per Dominum Duglas ex Regimine præfati Domini Colonelli Chelmski acceleratum stipendia ipsis non extradantur, sed lœsis & injuriatis in compensationem cedant atq; liberum integrumque sit Damna & injurias militares in Judiciis Tribunalitiis per plenipotentem sine delatoribus vindicare.

Ex Eâdem Instructione.

NE Universales Literæ ex Cancellariâ Regni extradantur sub executione militari pro extraditione Contributionum, vel aliarum quarumvis exactionum, quæ non sunt laudatæ.

No. 17.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ Mariæb. in Conventu Generali congregati Universis & Singulis quorum interest notum testatumque facimus: Quod cum ultra leges & Scriptum ad Archivum datum, imò verò ac si novissimi S. Consilii mentem, obtentu Universalium literarum Illustrissimi & Excellentissimi Domini Exercituum Regni Ducis, Bona tam Regalia & Spiritualia quam etiam nobilium terrestria atque Civitatum Patrimonialia per invasiones, Stativa hyberna, transitus, Stationes pecuniarias & frumentarias aliasque injurias & violentias militares, prorsus devastari & in solitudinem redigi in aprico sit, idcirco obviando ruinæ & subditorum oppressionibus hisce statuendum esse duximus, prout Authoritate Conventus præsentis statuimus, *quatenus abhinc & in perpetuum ejusmodi Literæ Universales, eo attento quod & Sacra Regia Majestas Ipsa in Responso Suo nobis per Illustrissimum Reverendissimum atq; Excellentissimum Dominum Episcopum*

pum Culmens. haud ita pridem dato, Stativa hyberna militem in Regno tantum obtinuisse, clementissimè fateatur, & panis hyemalis auctio ad evitanda eadem concessa sit, non acceptentur neq; suscipiantur quinimò juxta anteriorum temporum laudabile institutum Illustrissimis & Excellentissimis Dominis Palatinis, & in absentia illorum Illustrissimis Dominis Castellanis, aut proximis Officialibus & Capitaneis, adversus hujusmodi grassatores, utcunq; dictis Universalibus instructos, insolentiâq; suâ Terras hasce incommodantes, consurgendi & ope Equestris Ordinis copiisq; militaribus ipsos extra pomæria Terrarum Prussiæ omnimoda facultas profligandi sit atq; potestas, præsentis Laudi vigore. In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ hisce subappressum est. Datum Mariæburgi in Conventu Generali d. 20. Mens. Januarii Anno 1685.

No. 18.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Mariæburgi Congregati, Universis & Singulis quorum interest notum testatumque facimus. Quandoquidem nullis legibus concessâ Potestate certi Ductores Divisionum Polonicarum gravissima huic Provinciæ intulêre damna & ingentes pecuniarias extorsêre summas ac *privatâ auctoritate diversa Contributionum, Stativorum & Teloneorum, contra Jura Terrarum in flumine Vistula genera iniquissimé sibi usurpavêre*, cum summâ harum Terrarum oppressione & desolatione; proinde non tantum solennissimè contra eosdem Ductores protestamur & *conjunctis viribus* nos omnia damna causata & summas extortas vindicaturos declaramus, sed & in hunc finem necessariam specificationem omnium damnorum & extorsionum tum & juratoriam comprobationem cum denominatione Divisionum à quibus hæc sunt atten-

attentata in castris circa Judicia expediendam sancimus. Insuper ne hæc Provincia amplius tanquam in Prædam sit exposita, & cunctorum injuriis incursionibus ac licentiosis Extorsionibus & Concusſionibus pateat, Illustrissimos & Excellentissimos Dominos harum Terrarum Palatinos seriò obligamus ut in omnem eventum motâ etiam Nobilitate ejusmodi *usurpatores* coërceant & reprimant. In præmissorum fidem Sigillum Terrarum harum subappressum est. Actum & dat. Mariæburgi in Conventu Generali d. 6. Mens. Aug. Anno Domini 1708.

No. 19.

Augustus II. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Severiæ, Czernichoviæque, nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector.

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Cùm inter alias Regni nostri Provincias & Civitates præcipuè Prussia Ejusque Civitates belli & turbulenti temporis senserunt incommoda, graviaque damna & devastationes â variis Exercitibus sustinere coactæ sunt, Civitas quoque nostra Mariæburgensis in eâ, prout & anno proximè præterito *notabilem ab eadem Civitate per milites Regni prætextu acsi laudatarum in Conventu Neoburgensi accisarum extortam esse pecuniariam summam* intelleximus, & adhuc ex occasione earundem accisarum & *cujusdam Particularis Laudi per aliquot personas tantum, non verò per omnes Status & Ordines Prussiæ in absentiâ Civitatum Neoburgi Anno millesimo septin-*

septingentesimo sexto sanciti majora ab illis incommoda sibi metuat. Supplicatumque Nobis nomine & pro parte ejusdem Civitatis Mariæburgensis esset, ut illam in protectionem Nostram Regiam assumere & *ab onere ejusdem Laudi executioneque militari* relevare dignaremur. Nos supplicationi ejusmodi benignè annuentes & afflictæ sorti Civium & Incolarum Mariæburgensium condolentes, ipsos in Protectionem Nostram Regiam assumendos esse duximus, prout assumimus, & *ab onere præfati Laudi, prætextu cujus Summam viginti Trium millium florenorum bonæ monetæ Pruthenicæ Milites Exercitus Regni Nostri ab ipsis prætendebant*, relevamus, neque huic Laudo Civitatem eandem Nostram Mariæburgensem subjacere debere declaramus, illudque pro Interesse ejusdem Civitatis Nostræ penitus abrogamus. Quod ad notitiam omnium quorum interest, præsertim verò Exercituum Regni nostri Majoribus & Minoribus Officialibus deducendo mandamus, ut sæpe memoratam Civitatem Nostram Mariæburgensem circa præsentes protectionis Nostræ Literas non obstantibus quibusvis Nostris incontrarium emanandis Rescriptis conservent, conservarique ab omnibus curent, damna & gravamina ipsi non inferant. Pro gratiâ Nostrâ & sub pœnis in articulis militaribus sancitis. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Mariæburgi die tertia Mens. Julii An. Domini MDCCX. Regni Nostri XIII. Anno.

AUGUSTUS REX

No. 20.

No. 20.

Laudum Manifestationis contra Contributiones sine Statibus & Ordinibus in præjudicium Terrarum indictas.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Antecomitiali congregati, Universis & Singulis præsentium noticiam habituris notum testatumque facimus: Posteaquàm Contributiones graves, contra antiquam praxin normam ac formam contribuendi, tam præteritis quam præsenti Annis, *sine Conventu publico, sine Nobis in Nos, non convocatis Statibus & Ordinibus Terrarum Prussiæ, imò in eorum & Civitatum summam oppressionem posita, earumque executiones militari manu propriâ instituuntur auctoritate,* proinde consulendo indemnitati Jurium & consvetudinum Terrarum ac Civitatum *contra indictionem earundem, modo de Jure firmissimo protestamur, omninò volentes, ne imposterum ullâ ratione in sequelam indebitus his modus trahatur, sed memoria ejus salvâ calculatione ratione extortarum summarum penitus aboleatur.* In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum Graudenti in Conventu Generali Ante-Comitiali Terrarum Prussiæ, die 5tâ Mensis Aprilis, Anno 1712.

Ex Instructione Nuntiis ad Comitia ex Conventu Generali Graudentinensi d. 5. April. 1712. datâ.

OPeram quoque navabunt, ut unà cum Illustrissimis Dominis Castellanis Prussiæ apud Sacram Regiam Majestatem privatam obtineant audientiam, in quâ Sacræ Regiæ Majestati humillimè deducent, *nunquam Status & Ordines*

Terrarum Prussiæ contrarios fuisse, ut militi Reip. bene merito deservita exsolveretur merces, modò id debito & à seculis practicato Ordine, in Conventu à Sacra Regia Majestate Terris Prussiæ benignissimè indicto, accedente Statuum & Ordinum unanimi consensu fieret: Exponent proinde Sacræ Regiæ Majestati insignem quem Status & Ordines per læsa *Jura Cardinalia* sentiunt dolorem, dum, licet (id quod pro certo sciunt) Conventus Generalis obtineri potuerit, nihilominus in *privato Congressu* tam anno præterito quàm præsenti *sine Nobis in nos, contra normam & formam contribuendi solitam, non indicto à Sacra Regia Majestate Conventu, nescitur quâ auctoritate insupportabiles Statibus & Ordinibus indicta Contributiones*, quarum postmodum gravissima *militaris* instituta *executio*, simulque insignis pecuniæ summa sub nomine quitowe & groszowe extorta: Urgebunt itaque ibi ubi opus est, *ut exactarum taliter contributionum ratiocinia reddantur, ac, ne in futurum aliquis similia attentare audeat.*

No. 21.

Ex Scripto quod in Comitiis Coronationis Serenissimi Regis Polon. Henrici Cracoviæ Sacræ Regiæ Majestati per Status & Ordines Terrarum Prussiæ oblatum est 1574.

Cùm Serenissime Potentissimeque Rex & Domine, Domine Noster Clementissime, per hosce aliquot annos proximos non obscurè adverteremus & etiamnum magis magisque advertamus, Privilegia, jura, libertates, & consuetudines nostras Prussicas non in dubium vocari tantum, sed etiam convelli prorsus ac labefactari, ita etiam ut *nominis Pruthenici* mentionem obliterari prorsus ac aboleri, præter jus &

& æquum, præterque merita cum Majorum nostrorum mœrore ac incredibili dolore videamus, facere pro Fide Nostra & amore ac debito in charissimam Patriam non potuimus, quin Serenissimæ Majestati Vestræ Regiæ rationes tam *nominis nostri Pruthenici*, quam jurium etiam, Privilegiorum, Libertatum ac consuetudinum nostrarum Pruthenicarum, ea qua fieri poterit brevitate, sub oculos poneremus; Citra certe ullius vel injuriam vel offensam, sed nostri saltem nominis, nostrorumque Privilegiorum, jurium, libertatum ac consuetudinum tuendarum, & defendendarum gratia. Quas rationes nostras, ut Serenissima Majestas Vestra Regia benignissimè audire & cognoscere, Nosque Authoritate Sua Regia proq; nunquàm satis laudatâ pietate ac æquanimitate tueri, Suoq; Regio Patrocinio clementissime tegere dignetur, majorem in modum supplices & humillimè oramus.

Vixerunt, Serenissime ac Potentissime Rex, Majores Nostri superioribus temporibus sub germanis Cruciferis, quorum præpotentem Dominatum cum amplius ferre haud possent, eorum Tyrannico jugo excusso, ad amplissimum ac nobilissimum hoc Regnum Poloniæ, *liberâ deditione, ac sua sponte, non armis aut bello victi* accesserunt, eidemque indissolubili nexu ita copulati, inviscerati ac uniti sunt, ne discessio ulla aut separatio ullis unquam temporibus ab eodem speranda aut expectanda sit, modo penes nostra jura, Privilegia, Libertates, immunitates ac consuetudines inviolabiliter conservemur. Quæ vero ea sint Privilegia, quæ libertates, quæve consuetudines, & quomodo ea proximis hisce aliquot annis, præter fas & æquum, labefactata ac convulsa fuerint, paucis nunc ostendemus. Sunt *in Terris Prussiæ Serenissimorum Regum Poloniæ peculiares Consiliarii, Episcopi duo, Palatini tres, totidem Castellani & Succamerarii, tres quoque Majores Civitates, qui in Consiliariorum numero Terrarum Prussiæ censentur.*

Cum quibus Majestas Regia super omnibus causis & negotiis notabilibus eas Terras concernentibus, quotiescunque id necessitas exigere videtur, consilia capere & deliberationem in Terris Prussiæ, vel præsens, vel per suum Internuntium seu Oratorem, instituere tenetur juxta ea Privilegii manifesta apertissimaque verba: *Omnes causas notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Consiliariorum consilio Terrarum prædictarum, tractabimus, terminabimus & definiemus*: Eamque fuisse perpetuam ac nullo unquam tempore à centum & viginti annis interruptam consuetudinem, planius est quam ut quisquam inficiari possit. Non pauci enim superstites etiamnum sunt tam ex Polonis quam Pruthenis, qui eo munere Oratorio in Conventibus Terrarum Prussiæ aliquoties defuncti sunt: Qui conventus bis in anno tempore Verno & Autumnali circa dies festos D. Stanislai & Michaelis, celebrari consueverunt, quemadmodum id constitutiones nostræ manifestè declarant. Contra quæ Privilegii ac Constitutionum verba, hactenusque in illis Terris receptam & supra hominum memoriam servatam consuetudinem, paucis abhinc annis, *Terrarum Prussiæ Consiliarii, ad publica Regni Comitia, inviti, renitentes, & contra eam novitatem solenniter protestantes protracti fuere*: Cùm ex Privilegio & antiqua consuetudine cum Consiliariis Regni Poloniæ sedere, Consilia capere & deliberationem instituere non teneantur, nisi quotiescunque super Serenissimorum Poloniæ Regum electione & coronatione deliberationem fieri contingat. Quo factum est, ut Privilegiis Terrarum Prussiæ rejectis, consuetudinibusque antiquissimis fere abolitis, etiam nominis Pruthenici memoria propemodum obliterata & obducta sit, &c.

Ex

Ex alio Scripto quod Eidem Serenisſimo Regi Henrico nomine Statuum & Ordd: Pruſſiæ per Palatinum Culmen: in Senatu Regni Poloniæ Latino & Gallico idiomate oblatum eſt tempore Comitiorum Coronationis Anno 1574.

SErenisſime Potentisſimeq; Rex & Domine, Domine Noſter Clementisſime. Quamvis antehac Serenisſimæ Majeſtati Veſtræ Regiæ bina ſcripta humillime & reverenter privatim exhibuerimus, & poſtea etiam in amplisſimo Conſeſſu Majeſtatis Veſtræ & Amplisſimorum Senatorum Regni multa oretenus, pro tuenda libertate noſtra Prusſica publicè propoſuerimus: Tamen cum hactenus parum reſponſi ad ea omnia impetraverimus, non immeritò dubitari â nobis cœptum fuit, num ea quæ tam in Scriptis quam oretenus prolata & propoſita ſunt, ad notitiam Serenisſimæ Majeſtatis Veſtræ pervenerint, vel eo modo interpretata & expoſita fuerint, quemadmodum id publica illarum Terrarum necesſitas expoſcere videbatur.

Quare pro Subjectionis noſtræ fide, amore etiam & debito in charisſimam patriam noſtram committere non potuimus neque debuimus, quin ea omnia ſummatim repeteremus, & Serenisſimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ iterum ob oculos humillime & reverenter poneremus, majorem in modum & demisſisſime rogantes, ne Serenisſima Majeſtas Veſtra hæc aliorſum accipere dignetur, quam id â nobis ſubjectisſimo animo, pro Terrarum illarum communi necesſitate in medium proponitur, & bona fide citra ullius vel injuriam vel offenſam, pro conſervandis libertatibus, & conſuetudinibus noſtris Prusſicis Serenisſimæ Majeſtati Veſtræ humillime & reverenter exhibetur.

Majores noſtri, Sereniſſime ac Potentiſſime Rex vixerunt ſub germanis Cruciferis, quorum tyrannidem & impotentem Dominatum, cùm amplius ferre nullâ ratione poſſent, illorum jugo cervicibus ſuis abjecto, ſe in libertatem vendicarunt, ita *ut per integrum biennium, eá in libertate viventes, ſuperiorem non agnoverint.* Ubi vero ſe ſine Domino & Protectore haud commode vivere poſſe exiſtimarent, conſpicientes Sereniſſimorum Poloniæ Regum, in conſervanda ſubditorum ſalute, ſummam pietatem & æquanimitatem, *animo benè deliberato*, ad inclytum hoc Poloniæ Regnum *liberâ deditione, & ſua ſpontè, nulla vi nulliſque armis aut externo metu coacti* acceſſerunt, *certis interpoſitis pactis & conditionibus*, ut Regno quidem Poloniæ incorporati & uniti, *peculiarem* tamen & *ſeparatam Rempublicam* haberent, ſuis juribus & conſuetudinibus, cum quibus ad hoc Poloniæ Regnum acceſſerunt, liberè & ſine alicujus impedimento uterentur. A Republ. enim Poloniæ eos diſcrevit *lingua*, ſejunxerunt *mores, jura, conſuetudines*, & multa alia, quæ ipſis cum gente Polonica non fuerunt communia. Ob quam cauſam peculiares quoque conſtituti in iis Terris Conſiliarii & Magiſtratus, veri Terrarum illarum indigenæ, qui propter linguam, mores, & in illis Terris obſervatas conſuetudines populo Pruthenico jus dicerent, illumque tanto commodius in officio continerent, ac id in univerſum agerent, ſtatuerent, & decernerent, quæ uſus & neceſſitas earum Terrarum Pruſſiæ, quocunque modo, tempore & loco, tam in *judicialibus* quam *extrajudicialibus cauſis*, exigere videbatur. In quâ *peculiari à Regno prorſus ſeparatâ Republicâ* Majores noſtri & nos quoque ſupra hominum memoriam, usque ad hæc tempora, pacificè & ſine ullius hominis interpellatione viximus, ita ut nihil in illis Terris conſtitui, nihilque agi vel decerni potuerit, ſine conſilio & ſcitu omnium Statuum & Ordinum, idque intra limi-

tes

tes prædictarum Terrarum, adeò ut & ipsi Serenissimi Poloniæ Reges quotiescunque aliquid agere vel constituere voluerint, quod prædictas Terras & Earum incolas concerneret, id nunquam fecerint, nisi cum consilio Consiliariorum earundem Terrarum Prussiæ, ita ut Conventibus Prussicis vel præsentes interessent, vel aliquem Internuntium seu Oratorem suum mitterent, qui postulata Serenissimorum Poloniæ Regum proponeret, & cum Consiliariis Prussicis de rebus ad eas Terras proprie spectantibus, in *peculiaribus & propriis* earum Terrarum Conventibus consultaret, quemadmodum non pauci adhuc superstites sunt tam ex Polonis quam Pruthenis, qui eo munere Oratorio aliquoties in Conventibus Prussicis functi sunt, & amplissimum Nobis eâ de re testimonium dare poterunt. Inde peculiaria Terrarum Prussiæ Privilegia, Jura, *Insignia*, peculiares consuetudines, constitutiones, limites, peculiare quoque *Sigillum & Juramentum*, multaque alia quæ hic brevitatis studio omittenda esse duximus. Eam igitur quam diximus, *separatam & suis propriis notis ac signis distinctam Rempubl.* nobis Majores nostri per manus tradiderunt, quam nos etiam ad hæc usque nostra tempora supra centum & aliquot annorum spacium pacificè & quietè retinuimus: Donec paucis abhinc annis, quidam ex Consiliariis Terrarum Prussiæ, ad Comitia Regni præter morem evocati, & in Senatum Regni pertracti, Terras Prussiæ earumque rationes, summo cum detrimento & irrecuperabili damno postponere, & *de rebus Regni, ad se nihil pertinentibus,* in medium consulere coacti fuerint, non certe ob Consiliariorum Regni aliquam inopiam (quorum satis amplus & ex Reipubl. Dignitate est numerus) sed ut novæ unionis jugo nobis imposito, omnibus libertatibus ac prærogativis præter nostrum meritum exueremur. Unde varia nobis onera Majoribus nostris incognita, utpote Executionis, Contributionis, Dignita-

nitatum privationis, & multa alia imposita sunt, *cùm neutiquam tamen videatur verisimile, Majores Nostros tyrannidi se Cruciferorum multo labore & sanguine eximentes, ac in libertatem solidam vendicantes, majoribus oneribus, quam ante illa tempora subiissent, sese implicare voluisse.* Si enim ut reliqua nunc, de quibus in priori scripto dictum est, taceamus, *Ordo Teutonicus Contributionem nullam, sine communi Ordinum earum Terrarum consensu, hominibus jugum ferentibus indicere potuit*, qui nunc liberis, reluctantibus, & reclamantibus ea contra leges, præterque morem ac consuetudinem Patriæ imponetur? &c. &c,

No. 22.

Laudum quod eodem quo Incorporatio Prussiæ perfecta est Anno 1454. ratione Consilii publici dictæ Provinciæ formatum extat in Casparis Schützii Chronico Germanico Prussiæ fol. 206.]

QUando Status Equestris & Consiliarii Famatarum Civitatum Terrarum Prussiæ *temporibus Ordinis* ad Consilium de Commodis aut Differentiis ad tractandum & ad exequendum vocati fuerunt, tunc Terræ in felicitate & emolumento incrementum ceperunt & floruerunt: Et ê contrario quando memoratæ Terræ & Civitates ex prædicti Dominatûs nempe Crucigerorum Consilio exclusæ & rejectæ fuerunt, Terræ in suis antiquis emolumentis & commodis notabile decrementum ceperunt: Qua propter nos post scripti Joannes von Baysen Gubernator, Augustinus von der Schebe Terræ Culmensis Palatinus & Capitaneus Grudentinensis, Stybor von Baysen Regiomontanus Palatinus & Capita-

pitaneus Elbingensis, Gabriel von Baysen Palatinus Elbingensis & Capitaneus Christburgensis, Joannes von der Jene Palatinus Pomeraniæ & Capitaneus Mevensis, Joannes von Eichholtz Gelobensis, Ramsel von Brixen Balgensis Capitanei, Nicolaus von Beyersee, & Otto Krop, ex communi voto & plenâ potestate totius Status Equestris, & Joannes Matzkow Culmensis, Joannes von Loe Thorunensis, Joannes Fideler Elbingensis, Joannes Truntzman Brunsbergensis, Andreas Brunow Regiomontanus, Georgius Langerbein Kneiphoffensis, & Wilhelmus Jordan Gedanensis Præ-Consules *ex communi votô & plenâ potestate* memoratarum Civitatum majorum & omnium Civitatum Terrarum Prussiæ communis commodi causâ nobis proposuimus, pro optimâ scientiâ nostrâ *Auctoritate, scitu, & consensu Clementissimi Domini Regis Nostri* unanimiter instituimus & decrevimus, ac inter nos de novo firmiter & inviolabiliter transegimus, quod nos & successores nostri nunc & sequentibus perpetuis temporibus ex plenâ & unanimi electione Terrarum & Civitatum prædictarum, in Clementissimi Domini Regis Nostri Successorumque Ejusdem Consiliariorum proposito, tractatione, & conclusione negotiorum magnorum & exiguorum, ad Terras has spectantium, perpetuis temporibus, nempe septem votis ex parte Terrarum, & septem votis ex Civitatibus Majoribus, Terrarum earundem Commodum & utilitatem pro optimo posse nostro fideliter & æqualiter quærere velimus & debeamus: Quotquot etiam Personæ fuerint, id votis ab utrâque parte nihil obesse debet. Hoc spondemus nos prædicti Equites omnes & quilibet in specie pro nobis & universis Equitibus & Nostris eorumque successoribus Terrarum, & nos suprà nominati Præ-Consules omnes, & quilibet in specie, pro nobis, & ex plenâ potestate nobis commissâ pro omnibus Civitatibus Terrarum Prussiæ, earum & nostris successoribus, perpetuò, fir-

niter & inviolabiliter pro Fide & Honore servandum & hanc *Transactionem & Conventionem* minimè infringendam. In majorem securitatem &c.

No. 23.

Ex Responso quod Nuntio Regio nomine Provinciæ Prussiæ datum est in Conventu Generali Graudenti. Anno 1562. F. S. Michaelis celebr.

NEque enim quisquam Antecessorum nostrorum unquam *Statuta Regni* sive privatim aut publicè approbavit. Et quominus etiam nunc possimus ea vel approbare vel iisdem nos submittere, obstat nobis non solum patriæ charitas, libertatisque, quâ nihil in his Terris est pretiosius, assertio, sed etiam *perjurii infamia & DEI vindicta*, quæ omnibus pactorum violatoribus proposita est, ut taceamus plurimas alias gravissimas rationes, quæ tanti sunt momenti, ut speremus Sacram Majestatem Illius, etiam nobis volentibus, ab iisdem libertatibus recedere minimè concessuram esse.

No. 24.

Ex Instructione Nuntiorum Terrarum Prussiæ â Conventu Generali Graudentin: F. S. Michaelis Anno 1562. celebrato ad Comitia Regni ablegatorum.

NEgotium nobis esse cum nemine dicent, nisi cum Ipsa Serenissima Majestate Illius, à Cujus Divis Antecessoribus quemadmodum hæc quæ hactenus obtinemus privilegia ac libertates *intercedentibus certis pactis & fœderibus* con-

concessa nobis sunt: ita ***non putare nos cum quoquam alio de iisdem Privilegiis agendum nobis esse quam cum Serenissima Illius Majestate*** tanquam legitimo Regni Successore. Adstipulari quoque nobis manifestè harum Terrarum *communis Privilegii* verba, ut nimirum Regia Majestas Illius in omnibus causis notabilibus (qualis hæc de unione & executione omnium notabilissima dici potest) has Terras concernentibus, cum communi *Consiliariorum* consilio (*non inquit Regni Poloniæ, sed*) *terrarum prædictarum* tractet, terminet ac definiat. Extare quoque ejus consultationis cum Consiliariis harum Terrarum tantùm habitæ Divorum Illius Majestatis Antecessorum exempla non modica, qui vel præsentes in secessu nobiscum agere juxta tenorem privilegii, vel ad generales terrarum binos annuos conventus de occurrentibus negotiis per Internuntium aut literas suas communicare nobiscum consilia consueverunt. —— Præsertim cum ea Unio, quâ hactenus cum inclyto Poloniæ Regno individuo quodam nexu conjuncti unitique tot annos aut potius secula pacatè vivimus, & in quâ toties cum verbis tum scripto constantissimè nos perpetuò permansuros declaravimus, nihil in se habeat vel ambiguitatis vel controversiæ, accedente ad eam Serenissimorum Regum consensu ac longissimi temporis usu & vetustissimâ consuetudine, quæ alioquin certissima est rerum dubiarum interpres. Neque aliam Unionem, quam eam, in quâ hactenus stamus, alio sensu extorqueri à nobis aut etiam concedi posse, ut nimirum ***pari cum Incolis Regni jure*** vivamus, pariaque cum iis onera subeamus, sæpissimè significavimus. Neque quenquam ***eam Unionis novationem*** unquam moliturum arbitrati sumus, nisi eum, qui jura & privilegia Terris Prussiæ à Serenissimo Majestatis Illius Avo D. Casimiro præcedentibus certis pactis concessa prorsus velit eversa ac omnino sublata; Qui quidem pientissimus Rex Casimirus attentâ harum terrarum tam li-

berali ad Regnum acceſſione, perpenſis præclarisſimis meritis ac ſpontaneâ deditione Majorum noſtrorum, perpenſo etiam, *quod Regni leges Terris Prusſiæ haut in omnibus congruerent*, quemadmodum una lex omnibus locis ac gentibus, cum ſingulæ gentes ac provinciæ ſuas quasdam habeant proprietates, non plane convenit: Is, inquam, pientiſſimus Rex *has Prusſiæ terras, à linguâ, moribus, legibus & Juribus gentis Polonicæ prorſus diſtinctas alienasq;*, non ſolum priſtinis ſuis juribus, libertatibus & monumentis, quæ à retro Principibus Spiritualibus & Secularibus obtinuerunt, cum quibus ad Regni unionem acceſſerunt, perpetuò uti juſſit; Verum etiam conſervationem eorum inviolatam ſanctè eis promiſit. —— Haut dubie ſi voluiſſet idem Serenisſimus Rex Caſimirus Nos Regni Poloniæ legibus ac juribus teneri, non pepigiſſet tam diſertè de priſtinis harum Terrarum juribus, quibus hactenus vivimus, perpetuò obtinendis. —— *Neq; eſt mirum aut inſolitum in amplisſimis Regnis ſingulas provincias, etſi unius ſint corporis membra, ſingularibus uti juribus ac legibus*, cujus rei quam plurima poſſent aliorum regnorum adferri exempla. Et *ex ipſâ humanæ figuræ formatione non ineptè demonſtrari poteſt, ſi oculorum, ſi linguæ, ſi manuum ac pedum, quæ etſi unius corporis membra ſunt, diſtinctas tamen ipſorum leges & officia conſideremus.*

No. 25.

Ex Reſponſo quod Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Prusſiæ datum eſt in Conventu Generali Mariæburgi. Anno 1563. pro Feſto D. Stanislai.

QUemadmodum autem nihil eſt à fidelibus ſubditis alienius quâm Regis & Principis commoda temerè impedire

pedire, ita vicisſim non dubitant, quin Regia Majeſtas agnoſcat, eſſe Sui officii Jura ac Privilegia Subditorum integrè conſervare, *ne de rebus vel bonis aut cauſis harum Terrarum alio quam ex proprio Privilegiorum jure contra vetuſtam Terrarum conſuetudinem ſtatuatur & judicetur.* In quâ re cum magna conſiſtat firmitas atque ſtabilitas mutuæ benevolentiæ Regis ad ſubditos, & ſubditorum ad Regem, quanto poſſunt maximâ animorum ſubmisſione omnes illarum Terrarum Status & Ordines Sacræ ejus Majeſtati ſupplicant, velit pro Chriſtiani Principis officio ita Fiſci Sui commodis proſpectum, ne quid harum Terrarum juribus decedat, quod alia ratione haud fieri poteſt quamſi Ejus Sacra Regia Majeſtas terras ſuas Prusſiæ *ab obſervatione dictæ Conſtitutionis* abſolvat neque amplius patiatur, illis aliquin nullo jure ad dictam Conſtitutionem obſtrictis, quæſtionem ullam moveri, nedum Reviſorum importunitati gravari aut moleſtari: neque enim harum Terrarum jura ac Privilegia aliter ſalva ac ſana eſſe poſſunt. Quæ ipſa Privilegia à Divis Sacræ Majeſtatis Regiæ Anteceſſoribus conceſſa ac per Eandem Sacram Ejus Majeſtatem confirmata hactenusque conſervata, omnia cum harum Terrarum Statibus & Ordinibus hoc idem uno ore ſuppliciter petunt. Petunt autem hæc non ſuo magis quam poſteritatis nomine, cui nollent querendi cauſam relinquere, quod quæ Jura & Privilegia Majores Noſtri Nobis integrè conſervarunt, ea non æque integra ad poſteros transmittamus.

No. 26.

Ex Literis ad Sacram Regiam Majeſtatem â Statibus & Ordd. Terrarum Pruſſiæ ex Conventu Mariæb. Anno 1567. d. 27. Febr. ſcript.

 Novit

NOvit enim Regia Veſtra Majeſtas quòd etiam toties ante Ipſius Majeſtatis Tribunal publicè teſtati ſumus, *terras Pruſſiæ ac Ordines ipſarum omnes nullis Statutis Regni ſubjacere*, neque propterea ad formam ipſorum Statutorum rationemque executionis aliquid exigi ab illis poſſe.

No. 27.

Ex Reſponſo quod Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Pruſſiæ datum eſt in Conventu Generali Mariæburgenſi Anno 1568. d. S. Stanislai.

NEc minus novum eſt hoc quoque, quod à Civitatibus vel Oppidis harum Terrarum ratio juxta *Regni conſtitutiones* exigitur, quâ quidem re Privilegiis harum Terrarum plurimum detrahi videtur, *cum Regni Conſtitutionibus minime ſe ligari* perſuaſum habeant. Non recuſant, quo minus Regi & Domino ſuo Clementiſſimo rationem reddant, ad quam teneri ſe libenter fatentur, modo juxta Terrarum harum conſuetudinem & non aliquo novo more id faciant.

No. 28.

Ex Gravaminibus Statuum & Ordinum Terrarum Pruſſiæ Anno 1576. in Comitiis Thorunenſ. Sacræ Regiæ Majeſtati exhibitis.

ARt. XII. Præterea petunt ne contra Jura, Privilegia & immunitates ſuas, collectæ & exactiones qualeſcunque ipſis imponantur, ſed ſi quæ neceſſitas inciderit, ut Sacra Regia Majeſtas per Oratores Suos cum Conſiliariis & Statibus

tibus Terrarum Prusſiæ in ſolennibus vel extraordinariis Conventibus more Majorum eo nomine agere dignetur, ubi datæ fidei & officii ſui haut immemores, ad poſtulata Sacræ Majeſtatis Regiæ, Reipublicæ neceſſitatibus, ope & conſilio non ſunt defuturi, modo id fiat juribus ipſorum ſalvis.

No. 29.

Ex Inſtructione ad Sacram Regiam Majeſtatem Ablegatis Terrarum Prusſiæ Anno 1589. d. 4. Octobr. in Conventu Generali Thorunenſi datâ.

SIn verò, quod certè nollemus, Sacra Regia Majeſtatas deberet Negotium hoc noſtrum ad *Regni comitia* rejicere, quod illud ſine Comitiorum Authoritate & Decreto, paucis nunc penes Majeſtatem Regiam Senatoribus præſentibus, terminari & definiri non poſſe exiſtimaret; Domini Internuncii dicent, *id manifeſtè pugnare cum privilegiis noſtris*, quibus diſertè cautum ſit, quòd omnes cauſæ notabiles, has terras concernentes, cum omnium Conſiliariorum harum Terrarum conſilio, terminari, tractari & definiri debeant.

No. 30.

Ex Univerſalibus Literis Regis Sigiſmundi III. ratione immunitatis Mercatorum Gedanenſium â Contributionibus in Regno dat. Cracoviæ d. 4. Julii 1603.

SAtis exploratum Terras & Civitates Prusſiæ *peculiari jure* in conferendis pecuniis pro neceſſitatibus Regni Poloniæ ſemper uſas eſſe, ac in pacifico ejus juris ac immunitatis uſu

uſu hactenus fuiſſe, neque eo contribuendi modo, qui *in Comitiis Regni Noſtri* approbari ſolet, comprehendi.

No. 31.

Ex Reſponſo, quod Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ datum eſt ex Conventu Generali Graudentinenſi d. 31. Januarii 1614.

ET quia *in præteritorum Comitiorum Univerſalibus*, neſciunt Status & Ordines, quo Autore *citra ſuum aſſenſum* nonnulla inſerta ſunt, quæ Privilegiis Terrarum Pruſſiæ omnino adverſantur, & quarum ſcito Terræ Pruſſiæ modum contribuendi peculiarem antiquitus habentes aſtringi nequeunt: Idcirco Status & Ordines humillimè rogant, *ut ad præſens & in poſterum, præter & ultra Univerſalium ſuarum præſcriptum, aliis oneribus à ſe nec laudatis nec laudari conſuetis non graventur.*

No. 32.

Ex Reſponſo Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ in Conventu Generali Mariæburgen: d. 16. Febr. Anno 1650. dato.

AD tam ſtrictam exactamque cum reliquis Palatinatibus Regni, Terræ hæ anteactis temporibus, pro juribus & immunitatibus ſuis, nunquàm adactæ fuère in Contributionum numero *Coæquationem*, ſed potiùs liberrimis Statuum & Ordinum voluntatibus id ipſum relictum fuit.

No. 33.

No. 33.

Ex Reſponſo Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Terrarum Pruſſiæ in Conventu Generali Mariæb. d. 26. April 1650. dato.

QUantum verò *Coæquationem* ipſam attinet, & ſuper eâ ſatis explicâſſe ſe mentem ſuam perſvaſum ſibi habent Status & Ordines, cum ad adeò exactè obſervandam eam Terras haſce adſtrictas fuiſſe nunquàm meminerint, quin potius in viridi illud perpetuò hactenus in iisdem viguiſſe obſervantiâ, liberrimis ſubinde nullo penitus coæquationis reſpectu habito ad laudandas accesſiſſe Contributiones ſuffragiis, imo plus quoque in commune contuliſſe, quam ipſius Regni Palatinatus, quandoque etiam ipſis nihil penitus contribuentibus, id quod tamen citra indebitam omnem jactantiam aſſertum velint, illos nihilominus ſeu Principum ſeu Reipublicæ ſubvenire neceſſum habuiſſe neceſſitatibus.

No. 34.

Ex Inſtructione Nuntiis Terrarum Pruſſiæ ad Comitia Grodnenſia in Conventu Generali Graudentinenſi d. 5. Decembr. 1678. datâ.

QUin imò etſi alios Regni Palatinatus aliquas extraordinarias contributiones, utpote ſolidariæ, telonei Generalis Terreſtris & Aquatici, decernere velle cognoverint, iisdem omnino contradicent, nec ullum conſenſum adhibebunt, quamvis etiam promiſſum fuerit, easdem Terras Pruſſiæ non afficere debere, cum id manifeſtum ſit, ejusmodi Contributiones Terris Pruſſiæ præjudicioſas etiam contra

tra expressos Constitutionum Regni sensus ex consequenti imponi & molestias parere.

No. 35.

Ex Laudo Institutionis Commisionis Thesauri Terrarum Prusiæ. Ann: 1712.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusiæ in Conventu Generali Ante-Comitiali congregati Universis & Singulis præsentium notitiam habituris, notum testatumque facimus: Quoniam circà *Contributionum in Terris Prusiæ exactionem* Eædem varia hucusque damna & præjudicia patiuntur; proindè præsentibus instituimus Commisionem Thesauri, utque juxta praxin antiquam Starogardiæ cum facultate limitandi instituatur, decernimus. Quem in finem Præsidem hujus Commisionis ex Senatorio Ordine denominamus — — Commissarios vero — — Qui Illustres, Magnifici & Generosi D. D. Commissarii in præsentia Illustrissimi Thesaurarii Terrarum Prusiæ, ubi die 17. Oct. Anno præsenti Starogardiam condescendent, fundatâ Jurisdictione Commissoriali suâ, aliisque juxta antiquam Praxin peractis Solennitatibus, ante omnia tàm antiquarum, quàm recentiùs laudatarum, in Conventibus Generalibus, & ubivis quocunque tempore & loco Contributionum, à Generosis Exactoribus eorumque Successoribus, quibus comparendi pro eodem termino terminum præfigimus peremptorium, sub rigore pœnarum in Legibus descriptarum, actualiter quoque nomine receptarum debitam facient investigationem; *tum etiam ex designatis Neoburgi aliisq; privatâ auctoritate & quocunq; nomine impositis & realiter exactis Contributionibus exigent calculum*. Super Retentoribus verò tàm in Palatinatibus quàm in Districtibus Terrarum harum earundem Contributionum com-

muni

muni Omnium Statuum & Ordinum aſſenſu laudatarum, id quod Juris erit, decernent, aliaque in talibus fieri ſolita antiquarum ſimilium Commisſionum more ſtatuent & exequentur. In præmiſſorum fidem Sigillum harum Terrarum hiſce ſubappreſſum eſt. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali Ante-Comitiali Terrarum Prusſiæ, die 5. Menſis Aprilis Anno 1712.

Conf. pasſim ſuperius ſub Num. 2. --- 18. reperiunda, quatenus ad executionem contributionum indebitarum ſpectant.

No. 36.

Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæque Dominus & Hæres.

SIgnificamus tenore præſentium, quibus expedit Univerſis. Quomodo dum conſtituti coram Majeſtate Noſtrâ, Illuſtris Principis Domini Karoli Ducis Monſtenbergenſ. Procurator ex una, & Nobilis ac Famatus Matthias Czimmerman Burggrabius Noſter & Pro-Conſul Gedanenſ. in plenâ poteſtate & autoritate Conſulatus Civitatis noſtræ Gedanenſ. partibus ab alterâ, querelas & reſponſa hinc inde pro ſui quisque defenſione depoſuiſſent, quæ longum eſſet repetere, in æquali ſed ſingula relinquimus valore. Et quia præfatus Matthias ex parte Conſulum Civitatis Noſtræ Gedanenſ. humiliter hanc cauſam differendam ad Noſtrum usque felicem in Terras Prusſiæ adventum petiit: Reſpectum habentes *quod ut obedientes extra Prusſiam ad juridicè reſpondendum non aſtricti, juxta Privilegia eis per Reges Prædeceſſores Noſtros conceſſa,* in quibus eos clementer conſervare volumus, per

eundem comparuissent : Licetque ad vota præfati Illustris Principis Karoli super eosdem citationem dederamus, *non convenit tamen prædictos Civitatis Nostræ Consules in obtentis Privilegiis ad instantiam petitionum earum aggravare, sed dum feliciter in Terris Prussiæ constituti, per prædictum Illustrem Principem aut ejus Procuratorem requisiti fuerimus, ibidem ea quæ juris & justitiæ, ut tenemur, fore videbuntur, cuilibet partium ministrabimus*, hanc scilicet dilationem in nullius partis præjudicium facientes. Actum & datum Pietrkoviæ feriâ secundâ post festum Conversionis Sancti Pauli. Anno Domini 1511. Regni vero Nostri quarto.

No. 37.

Ex Responso quod Nuntio Regio à Statibus & Ordinibus Prussiæ datum est in Conventu Generali Mariæburgens. d. 10. Maij 1585.

AD postulata verò Serenissimæ Majestatis Regiæ per Dn. Oratorem interposita quod attinet, atque initio quod in proximis Regni Comitiis harum Terrarum Nobilitatis Nuntii de Judiciis Petricoviam remittendis postulaverint, optimè iidem, quid ibidem actum sit & meminerunt & Serenissimæ Majestati Regiæ magnas agunt gratias, quod præter tam Senatorum quam aliorum Nobilitatis Nuntiorum consensum Ipsa quoque clementissimè assensa sit. *Civitates verò, quemadmodum jam in dictis Regni Comitiis testatæ sunt, fieri id contra Jura, Privilegia, libertates & consuetudines harum Terrarum, ita etiamnum testantur & pristinis suis juribus, libertatibus & consuetudinibus insistere omnino constitutum habent.*

No. 38.

No. 38.

Laudum Proteſtationis contra Nobiles Terrigenas Prusſiæ, quod Tribunal Petricovienſe ſuſceperint, â Civitatibus Terrarum Prusſiæ factæ Thorunii in Conventu Generali d. 4. Octobr. Anno 1585.

NOs Prælati, Palatini, Caſtellani, Succamerarii, Equeſtris Ordinis & Civitatum Terrarum Pruſſiæ Conſiliarii notum facimus præſentibus hiſce noſtris Literis, univerſis & ſingulis, imprimis autem quorum id ſcire refert. Poſteaquam â multis immemorabilibus annis vigore Jurium, Privilegiorum & Immunitatum harum Terrarum ratione Inſtantiarum hic mos obſervatus fuit, ut Nobiles Terrigenæ ab inclutis judiciis terreſtribus ad Nos tanquam Conſiliarios harum Terrarum ac denique ad Sereniſſimos Reges Poloniæ appellarint, illi vero moderno tempore contra hujusmodi Jura, Privilegia & immunitates conſuetudinesque, loco ultimæ inſtantiæ apud Sacram Regiam Majeſtatem, *novo & antehac inuſitato modo, non tantum Tribunal in Polonia Petricovienſe elegerunt ac ſuſceperunt, verum etiam citra univerſum & unanimem omnium Dominorum Conſiliariorum ac Nobilium conſenſum ab hoc Conventu ſuas Appellationes eo reapſe direxerunt* atque harum Terrarum publico ſigillo hoc tempore ad id uti voluerunt; Quod Spectabiles *Majores Civitates Thorunenſis, Elbingenſis & Gedanenſis* in Conſilio præſenti per ſuos Deputatos & Internuncios, prouti & una cum minoribus Civitatibus in præteritis Varſavienſibus Comitiis ac nupero Mariæburgenſi Conventu jam factum eſt, *quoniam hoc diligenti inſtantia, ſollicitationibus & admonitionibus haud amovere potuerunt*, pro

ſe & nomine ſuorum Seniorum adeoque omnium Incolarum *adverſus tale attentatum Nobilitatis publicè ac ſolenniter proteſtatæ ſunt*, atque ſe non minus moderni præſentes quam Succeſſorum ergo præcuſtodiverunt ac muniverunt, quod talis novitas hiſce Terris ac Civitatibus in ſuis Juribus, Privilegiis, immunitatibus ac conſuetudinibus,his & futuris temporibus non præjudicioſa vel noxia eſſe debeat, & *quod ipſi in omne id quod hic realiter attentatum eſt, neutiquam conſentire poſſint nec velint temporibus perpetuis.* In præmiſſorum fidem præſentes Sigillo harum Terrarum muniri fecimus. Actum & datum Thorunii in Ordinario Conventu Generali die 4. Menſ. Octobr. Anno poſt Nativitatem JEſu Chriſti Milleſimo, Quingenteſimo, Octuageſimo Quinto.

No. 39.

Indiculus argumentorum aliquot, quibus probari poteſt Civitates earumque Magiſtratus non habere forum niſi coram Sacrâ Regiâ Majeſtate Poloniæ in Judiciis Aulicis, ſeu ut vocantur, Poſtcurialibus.

Ex ipſis Conſtitutionibus Regni Poloniæ.

Conſtitutio Anni 1578. Tit. Co ſądzic maią. Quid judicare debeant. *verb.* Exceptis quoque cauſis juris Magdeburg. &c.

Conſtitutio Anni 1588. Tit. O Kadukach: De Caducis. *verb.* Mieyskie Kaduki &c. Caduca Civitatum &c.

Conſtitutio Anni 1611. Tit. Miaſt Koronnych extra forum evocatio. Civitatum Regni extra forum evocatio. *verb.* Przeto przychylaiąc ſię &c. Propterea reflectendo &c.

Conſti-

Constitutio Anni 1633. Tit. O Sądach Seymowych Zadwornych y Trybunalskich. De Judiciis Comitialibus, Postcurialibus & Tribunalitiis. *verb.* Co się zaś dotycze &c. Quod vero attinet &c.

Constitutio Anni 1667. Tit. O powadze Decretow Trybunalskich &c. De autoritate Decretorum Tribunalitiorum &c. *verb.* A wzajemnie Trybunaly nie powinny &c. Tribunalia non debent &c.

Decretum D. Regis Sigismundi III. inter Instigatorem Regni ejusque Delatores Præ-Consules, Consules, Advocatum, Scabinos ac totam Communitatem Civitatis Leopoliensis Actores, atque Nobiles Stanislaum, Matthiam Falentum & Petrum Wysoczkie Citatos, ratione incompetentis evocationis ad Judicium terrestre Leopoliense & subsecutæ proscriptionis & bannitionis in Judicio Tribunalitio Lublinensi, *Varsaviæ in Conventu Regni Generali Feria sta post Dom. Reminiscere proxima Anno 1615.* latum. Quo Actores, Magistratus scil. & Communitas Leopoliensis, à Jurisdictione terrestri & prædicta pœna bannitionis & præscriptionis immunes declarantur, addito serio mandato, ut officia tam Castrensia quam terrestria Leopoliensia & alia quævis ab executione desistant, Citatiq; ab ulterioribus processibus in alieno foro abstineant, & reservatâ Instigatori Regni ut & Civitati Leopoliensi facultate ratione vilipensionis Decretorum Regiorum & evocationis ad Judicium alienum atque incompetens contra Citatos jure agendi.

Decretum D. Regis Sigismundi III. inter Nobiles Joannem, Jacobum & Sophiam Bialochowski Actores, & Spectabiles atque Famatos Præ-Consules, Consules, Scabinos totamque Communitatem veteris & novæ Civitatis Thorunensis Conventos, ratione capite plexi Nobilis Joannis Bialo-

Bialochowski & ad Judicia Comitialia propterea factæ evocationis *Varsaviæ in Conventu Regni Generali fer. 5ta ante Festum Purificationis B. M. V. Anno 1619.* latum. Quo declaratur Conventos in Comitiis Regni forum competens non habere, sed tantum post Curiam Regiam coram Judicio Regio ordinariâ Juris viâ conveniri posse. Præmittitur ratio, quod Judicium Comitiorum Regni non omnium universale sed certarum duntaxat causarum eidem ex præscripto Legum servientium, atque illa Jurisdictio, quæ Regibus Poloniæ in Civitates, earumque Magistratus competit, Regum propria & à Jurisdictione, quam iidem in Comitiis exercent, diversa fit, Magistratusque Civitatum ex officiis & personis suis tam criminaliter quam civiliter ad cujuscunque instantiam citati & evocati, non alibi quam coram Regibus suis uti supremis Dominis eorumque Judicio post Curiam respondere, & sese, ut verba habent, justificare teneantur.

Decretum D. Regis Vladislai IV. inter Magnificum Paulum à Dzialin Dzialinski, Palatinum Pomeraniæ &c. uti Judicem, & Nobilem Joannem Siepielowski Judicii ejusdem Palatinalis partem adhærentem Citatos, ac Magistratum, Scabinos, Centumviros atque totam Communitatem Civitatis Gedanensis Actores, ratione adjudicati indebite coram Officio Palatinali fori, nec admissæ ad Judicium Regium appellationis, obtentæque injustè in Judicio Tribunalitio Regni contra Actores pœnæ infamiæ *Varsaviæ in Judiciis Relationum fer. 4ta post. fest. Conceptionis B. M. V. proxima Anno 1635.* latum. Quo decernitur, Civitatis Gedanensis appellationem ad Judicium Regium directe admissibilem fuisse, & non alibi quam coram eodem Judicio prosequibilem esse, cum deductum sit, Civitates Ter-

rarum

rarum Prussiæ non alteri Jurisdictioni & foro nisi Regum subjacere.

Decretum Regium inter Instigatorem Regni ejusque Delatores Magistratum & Cives Varsavienses Actores, & Instigatorem Judicii Tribunalis Regni Petricoviensis hujusque Delatorem Nicolaum Stawoszewski Citatos, ratione evocationis ad Judicium Capturale ac Tribunalitium factæ Varsaviæ *in Convocatione Regni Generali fer. 6. post festum S. Luciæ Virginis proxima Anno 1649.* latum. Quo sublatis actionibus per Citatum institutis, decretisque ab eo obtentis, idem Citatus in pœnam evocationis quingentarum marcarum condemnatur.

Decretum D. Regis Joannis Casimiri inter Instigatorem Regni ex delatione officialium thesauri Regni Actorem, & Spectabiles Pro-Consulem, Consules totamque Civitatem Lublinensem Citatos, ratione neglectæ à Citatis ad Judicia Tribunalis Regni incompetenter evocatis, ad Judicium Regium & Jurisdictionem propriam Provocationis, decretorum ibidem latorum & pœnarum decretarum susceptionis, perque hoc Jurisdictioni Regiæ factæ derogationis, & illati obventionibus Thesauri Regni fiscalibus maximi præjudicii *in Comitiis Regni Generalibus Varsaviæ fer. 6. pridie festi Circumcisionis D. N. J. C. Anno 1649.* latum. Cujusvigore Decreta quidem adversus Civitatem Lublinensem promulgata irrita redduntur, sed Magistratus simul Lublinensis ad solutionem quingentarum marcarum ideo condemnatur, quod Jurisdictioni Tribunalitiæ se submiserit & forum non exceperit.

Decretum Regium inter Generosum Instigatorem Regni ejusque Delatores Nobiles & Spectabiles Pro-Consules, Consules, Scabinos totumque Magistratum & Communitatem Civitatis Gedanensis Actores, & Venerabilem Ja-

cobum Weydman, Præpositum Ecclesiæ S. Alberti prope Gedanum sitæ, Citatum, ratione temerariæ ad Judicium Palatinale Pomeraniæ & Tribunalitium Petricoviense evocationis *Varsaviæ in Conventu Regni Generali feria 6. ante festum S. Thomæ Apostoli Proxima Anno 1649.* publicatum. Per quod citatus Jacobus Weydman ob prædictam in Judicio Petricoviensi causæ prosecutionem in pœnam evocationis 500. Marcarum condemnatur, adhærendo Juribus publicis & præcavendo Jurisdictioni Majestatis Regiæ, quæ in Cives omnium Civitatum Regalium eorumque bona soli Majestati Regiæ competit.

Decretum Regium inter Generosum Instigatorem Regni, ejusque Delatores Magistratum Thorunensem & Adamum Ehlert ac Joannem Konau Cives Gedanenses Actores, atque Instigatorem Judicii Castrensis Kovaleviensis Kaptur dicti, & GregoriumKaminski, Incolam Mariæburgensem Citatos, in puncto indebitæ evocationis sub tempus Interregni ad Judicium Capturale ibidemque nulliter obtentorum Decretorum & publicatæ bannitionis *Varsaviæ feria 5ta in crastino Festi Purificationis B. M. V. An. 1650.* latum. Per quod Decretum inter alia declaratur Magistratum Thorunensem, tanquam Regiæ Majestati & Judicio Regio duntaxat immediatè subjectum, nonnisi coram Regiâ Majestate forum habuisse, neque alibi habere potuisse, sublato Judicii Capturalis decreto, ac toto processu, pœnis tamen evocationis, quas Citatus promeruerat, ex speciali Clementiâ Regiâ remissis.

Quæ ex Fundamentis Status Prussiæ in ipsâ Responsione jam sunt enucleata, huc facientia, iterum producere, aut etiam immunitatem Civitatum à Judiciis Capturalibus tempore Interre-

Interregnorum; pleniùs docere, vel qua Gedanensis Civitatis specialibus Privilegiis nituntur enumerare, haut visum est hâc vice necessarium.

Literæ Serenissimi Regis Joannis III. ad Præsidem Tribunalis Petricoviensis 1682.

WIelebny Uprzeymie Nam Miły. Lub o tym nie powatpiewamy, ze Uprz. Wa. po tak wielekroc tę Residentiey Tribunalskiey ornando Spartam, gruntowna o tym masz Scientia, iz *Miasta wszytkie ale osoblinie Pruskie od Nas immediatè dependent, y do Samych Naszych naleza Sadow:* Nie zdało się Nam jednak supervacaneum Uprz. W: o to Naszym compellare Listem, abys to wswiezey zawsze miec chciał pamięci. A to Nas y teraz dochodzi wiadomość, ze Magistrat Gdanski à Successoribus zeszłego Xza Olszowskiego niegdy Arcybiskupa Gniezn: do Trybunału trahitur. Co ze się nie tylko contra immunitatem Miasta tego dzieie, ale tez *in præjudicium prærogatiwy Naszey:* Pilnie o to Uprz. W. zadamy abys pro activitate & authoritate sua efficaciter wtym stanał terminie, aby tam ani *forum* przerzeczonemu Miastu Naszemu nie było przyznane, ani jaka na nich wciagniona *Condemnata.* Impensum wtym studium accedet meritis Uprz. W: Ktoremu od Pana Boga zdrowia zy-

 częmy

częmy dobrego. Dan w Jawor: d: 9. MCa Lutego Roku Panskiego M. DC. LXXXII. Panowania Naszo VIII. Roku

JAN KROL.

Versio præcedentium Literarum.

Venerabilis, Sincere Nobis Dilecte.

LIcet non dubitemus, Sincerit: Vestram ornando toties Præsidis Spartam Tribunalitii, exactam de eo habere notitiam, *quod omnes Civitates, inprimis Prussicæ à Nobis immediatè dependeant & tantummodò ad Judicia Nostra pertineant:* attamen non est nobis visum supervacaneum Sincerit. Vestram super hoc negotio Nostris compellare literis, ut hoc in recenti semper foveat memoria. Nam etiam in præsentiarum Nobis relatum est, quod Magistratus Gedanensis à defuncti Olszovii Archi-Episcopi Gnesnensis Successoribus ad Tribunal trahitur. Quod cùm non tantùm contra immunitatem Civitatis illius fiat, sed etiam *in præjudicium prærogativæ Nostræ,* eapropter sedulò requirimus à Sinceritate V: ut pro activitate & authoritate sua eò rem deducat, ne præfatæ Civitati Nostræ ibidem *forum* adjudicetur, neque *decretum* aliquod contra eam publicetur; Impensum in hacce re studium accedet meritis Sincerit: Vestræ, & Nos eidem prosperam exoptamus valetudinem. Dab. Javoroviæ d. 9. Mens. Febr. Anno Domini M. DC. LXXXII. Regni Nostri VIII. Anno:

JOANNES REX.

Ad Marechalcum Tribunalis eædem literæ mutatis mutandis exaratæ.

Literæ

Literæ Serenisſimi Regis Poloniæ Auguſti II. ad Dn Epiſcopum Cujavienſem ratione evocatæ indebitè Civitatis ad Tribunal Radomienſe. 1711.

AUGUST Wtory &c.

Wielebny w Bogu Uprzeymie Nam Miły. Mieliſmy tę relacyą jakobyś Uprzeymość Waſza Miaſto Naſze Gdansk, *ktore tylko przed Nami w Wſzelkich Sprawach reſpondere powinno, miał* pociągać do *Tribunału Koronnego.* Więc gdy *przez takową Ewokacyą derogaretur Juri Noſtro & Publico*, ktorego tuitio pro gradu Senatoriæ Dignitatis y do ſamegoſz Uprzmci Waſzey należy: Zadamy po Uprzmci Waſzey *abyś ab intentatâ do Trybunału Koronnego actione temu Miaſtu odſtąpił*, a w Sądach przyzwoitych pretenſyi ſwoich dochodził. Nie wątpiemy iż to Uprzeymość Waſza y dla słuſznosci ſamey y na ninieyſzą Naſzę uczyniſz interpozycyą. Ktoremu na ten czas dobrego od Pana Boga zyczęmy Zdrowia. Dan w Obozie Naſzym pod Stralſundem dnia IX. Mieſiąca Grudnia Roku Panskiego MDCCXI. Panowania Naſzego Roku. XV.

AUGUSTUS REX.

Wielebnemu w Bogu Konſtantemu Szaniawskiemu Biskupowi Kuiawskiemu Uprzeymie Nam Miłemu.

Versio.

Augustus Secundus D. G. Rex Poloniæ &c.

Venerabilis &c. Sincere Nobis Dilecte.

RElatum Nobis est acsi Sincerit. Vestra Civitatem Nostram Gedanensem, *qua tantùm coram Nobis in omnibus causis respondere tenetur* ad *Tribunal Regni* evocaverit. Cùm verò *tali evocatione derogaretur Juri Nostro & publico* cujus tuitio etiam ad Sincerit. Vestram pro gradu Senatoriæ Dignitatis pertinet, eapropter requirimus à Sincerit. Vestrâ *ut ab intentatâ illi Civitati ad Tribunal actione supersedeat* & in Judiciis competentibus prætensiones suas vindicet. Non dubitamus quin Sincerit. Vestra tam propter ipsam æquitatem; quàm propter interpositionem Nostram hoc factura sit, Eidem nunc optimam valetudinem à Deo exoptantes. Dab: in Castris ad Stralsundam die 9. Mens. Decembr. Anno Domini M. D. C C. XI. Regni Nostri XV. Anno.

AUGUSTUS REX.

Venerabili &c. Constantino Szaniawski, Episcopo Cujaviensi, Sincerè Nobis Dilecto.

No. 40.

Ex Responso quod Nuntio Regio â Statibus & Ordinibus Prussiæ datum est in Conventu Generali Culmensi d. 25. Junii 1591.

Ad

AD hæc cum aliquot harum Terrarum incolæ *ob pecuniam publicam* Statum & Ordinum Terrarum Prussiæ jussu collectam & administratam, à Dnn. Reip. Poloniæ Deputatis, novo & in his terris nunquam antehac audito modo, ad reddendas eo nomine rationes *Lublinum* evocati, & cum se non stitissent, non condemnati tantum sed proscripti etiam fuerint, eâ vero re immunitates & consuetudines Prussiæ haud obscurè labefactentur, & in dubium quasi vocentur, quarum vigore omnes illi qui pecuniam publicam non ex Constitutionum Regni sed harum Terrarum Prussiæ Privilegiorum & libertatum præscripto hactenus administrarunt non extra Terras Prussiæ, sed in ipsis Terris, vel ipsis Statibus & Ordinibus, vel eis saltem quibus ipsi eum laborem delegassent, aut D. Thesaurario Prussico in arce Mariæburgensi, quem peculiarem semper habuerunt, & etiamnum habere dignoscunt, rationes reddiderint, ut Citationes ejusmodi à D. illis deputatis Lublini editæ, & processus eo nomine institutus, Decretaque omnia & singula absque præjudicio jurium & consuetudinum Prussicarum & earum etiam personarum quæ Lublinum evocatæ fuerant, ex nunc ita tollantur & abrogentur, ne Terrarum Prussiæ incolis vel in re minimâ etiam obsint, vel post hac temporibus perpetuis in exemplum trahi possint, alioquin irrita & nullius roboris futura ea, quæ in hoc Conventu scita & publico nomine promissa sint.

No. 41.

Universales literæ quibus causa ratione administratæ pecuniæ ex Contributionibus collectæ & Evocationis ad D. Lublinens. Deputatos publica non privata esse jubetur.

Nos

Nos Terrarum Prussiæ Consiliarii.

NOtum testatumque facimus præsentibus hisce Literis. Cùm Nobis in Conventu hoc Generali congregatis aliquot harum Terrarum incolæ retulissent se in causâ harum Terrarum publicà ob *pecuniam publicam* Statuum & Ordinum omnium jussu, vigore immunitatum & consuetudinum harum Terrarum collectam & administratam, à D. Deputatis Reipubl. Polonæ *Lublinum* ad reddendas eo nomine rationes evocatos, & cum non comparuissent non condemnatos tantum sed proscriptos etiam fuisse: Eam rem novam omninò in his Terris nunquam antehac auditam, sed cum omnium incolarum indignitate conjunctam ab omnibus judicatam, ac propterea *causam eam non privatam sed publicam omnium Statuum & Ordinum publico decreto sancitam esse, quam non privati quiq;, sed ipsi Status & Ordines ob communia jura, libertates & consuetudines patriæ defensuri sint.* Interdictumque ne quisquam privatim se ei causæ immisceat, vel eam defendendam suscipiat, sed eo nomine conventus eam ad Status & Ordines omnes rejiciat, alioquin irritum & inane futurum, quodcunque eo nomine privatim à quoquam actum gestumque fuerit; Cum rationes ejusmodi hactenus nemini quam ipsis Statibus & Ordinibus, vel quibus ipsi eum laborem delegassent, aut Thesaurario Prussico, quem peculiarem semper habuerint & etiamnum habeant, redditæ sint. In quorum omnium fidem Sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est appressum. Datum in Conventu Generali Culmens. die 25. Mensis Junii Anno à JEsu Christo Nato M. D. XCI.

No. 42.

No. 42.

Literæ Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ in prædictâ causâ ad D. Deputatos Lublinenses perscriptæ.

SAlutem â Deo plurimam cum studiorum nostrorum commendatione. Magnifici & Generosi Domini, Amici charissimi & honorandi. Non sine animorum dolore nobis in hoc Conventu congregatis quidam Incolarum harum Terrarum Prussiæ exposuerunt, se â Magnificis & Generosis Dominationibus Vestris ad putandas rationes earum pecuniarum nomine, quas in hisce Terris nostro jussu & mandato collegerant, *Lublinum* evocatos fuisse, idque sub prætextu *Constitutionum publicarum Regni* in præteritis Varsaviensibus Comitiis editarum. Quod cum præter expectationem nostram acciderit, committere non potuimus, quin ea de re has nostras literas ad Magnificas & Generosas Dominationes Vestras daremus, easque amicè moneremus, ne harum Terrarum Incolas, contra Jura & consuetudines nostras, quibus sine ejusmodi interpellatione ab eo tempore, quo Majores nostri ad inclytum hoc Poloniæ Regnum ultrò & sua sponte accesserunt, pacificè usi sumus, prægravare velint. *Licet enim Constitutiones Regni publicas prætendere possint, iis tamen nunquam nos fuimus obnoxii*, imò contra eas in proximè præteritis Varsaviensibus Comitiis, primò in facie totius Reipublicæ, deindè coram Actis Castrensibus publicè protestati sumus, quod *peculiares Constitutiones nostras*, Jura, Privilegia, Libertates & Consuetudines habeamus, Magistratus etiam & Jurisdictionem nostram, quibus hactenus harum Terrarum Incolæ â centum ferè & quadraginta annis paruerunt, *neque ullum adduci potest exemplum, illos extra Provinciam hanc in Polonia*

Regnum, ad reddendas vel pecuniarum hîc collectarum, vel alterius cujusquam rei nomine rationes unquam evocatos, ſed Theſaurario Terrarum Prusſiæ, quem peculiarem ſemper habuimus & etiamnum habemus, rationes redditas & â Serenisſimis Poloniæ Regibus acceptas fuiſſe. Hæc verò res cum nova admodum, nuper nata & in Jurium noſtrorum præjudicium introduci cœpta ſit, Magnificas & Generoſas Dominationes Veſtras rogamus, ut ab ea ſuperſedere, neque harum Terrarum Incolas ejusmodi citationum pœnarum & proſcriptionum modis exagitare velint. Cum id omne nos non alio loco habere poterimus, quam quo omnia illa habentur, quæ *â non Judicibus* fieri dignoſcuntur. Non enim patiemur Jura, Privilegia, Libertates & Conſuetudines hujus Provinciæ ad eum modum labefactari, & in diſcrimen publicum adduci. Quod supereſt, Magnificas & Generoſas Dominationes Veſtras benè valere ex animo cupimus. Datum Culmæ in Conventu Ordinum Terrarum Prusſiæ Generali, die decima nona Menſis Junii Anno à JEſu Chriſto nato M. D. XCI.

Magnificarum & Generoſarum Dominationum Veſtrarum

Studioſiſſimi

Status & Ordines Terrarum Pruſſiæ.

No. 43.

No. 43.

Literæ ad Sacram Regiam Majeſtatem Pol. à Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ ſcriptæ 1618.

Sacra & Sereniſſima Regia Majeſtas Domine Clementiſſime.

EXpoſuerunt Nobis Civitatum Majorum ad hunc Conventum ablegati Nuncii ad ſe certo delatum eſſe, quod à Theſauro Regni hoc agatur, ut Civitates Majores Pruſſiæ *prætextu retentarum quarundam Contributionum* ad Judicium *Radomienſe* futurum evocari ac id ipſum vel inviti ſubire cogi debeant. Cum autem Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ incognitum non eſt, Civitates dictas, quemadmodum aliis ita vel hoc maxime gaudere jure, *quod non niſi coram Sacra Regia Majeſtate Veſtra forum agnoſcere & comparere teneantur*: Ideo cum cauſa hæc ipſarum tanquam *Membri Senatus Provinciæ hujus* nos quoque concernat, intermittere non potuimus, quin ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram eandem referemus, quo Sacra Regia Majeſtas Veſtra habitâ Jurium & Privilegiorum Civitatum illarum condignâ ratione pro gratiâ ſuâ clementiſſimè ipſis ſubvenire dignetur, *ne contra authoritatem Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ & jura ipſarum ad forum illud incompetens evocentur*, difficultatibusve ullis præter meritum & culpam ipſarum implicentur, ſiquidem hoc affirmant, ſe omnes omnino Contributiones, quotquot laudatæ fuerunt, ſecundum Univerſales harum Terrarum fideliter collegiſſe & extradidiſſe, neque quicquam reſidui eo nomine apud ſe ſupereſſe, id quod authenticis documentis & quietationibus, ſi ita opus fuerit, coram Sacra Regia Majeſtate Veſtra docere ac

demonſtrare paratas ſe eſſe oſtendunt. Non dubitamus Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram pro innatæ juſtitiæ æquitatisque laudatisſimo ſtudio clementisſimè hiſce locum daturam. Quod ipſum Nos una cum illis debitis obſequiis & officiis noſtris de Sacra Regia Majeſtate Veſtra, Domino Noſtro Clementisſimo humillimè demereri ſtudebimus. Quod ſupereſt, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram una cum tota auguſtisſima Domo ſua Protectioni Divinæ, Nos vero Gratiæ ac Clementiæ Sacræ Regiæ Majeſtatis humillime commendamus. Dat. Mariæburgi in Conventu Generali die 11. Menſis Maij Anno 1618.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Humillimi & ad obſequia paratisſimi ſubditi

Conſiliarii Terrarum Prusſiæ.

No. 44.

Literæ Conſiliariorum Terrarum Prusſiæ ad Supremum Theſaurarium Regni Poloniæ.

RETulit Nobis in Conventu hoc Noſtro Generali Mariæburgenſi pro Feſto D. Stanislai habito Magnificus ac Generoſus Dominus Melchior Weiher Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius & Oeconomus Mariæburgenſis, Dirſovienſis Nowodworienſisque Capitaneus, qualiter ex tranſmisſis præſumtarum aliquot retentarum in Palatinatibus Pruſſiæ conſignationibus colligat, ſe *ratione Decreti cujusdam Radomienſis* contra

contra Magnificum Dominum Lodovicum Weiher Fratrem & in officio hoc Antecessorem suum lati de novo molestatum iri. Cùm itaque causam hanc universam provinciam concernere videamus & præter omnem expectationem esset, si id â quo Illustrissimi & Reverendissimi, Illustres ac Magnifici Domini Commissarii Bidgostienses defunctum D. Fratrem ipsius, & sic consequenter Civitates Prussiæ, mediante assecuratione Statibus & Ordinibus Prussiæ ex Autoritate Comitiali datâ, liberas pronunciaverunt, reassumeretur, quin imo Civitates Prussiæ majores constantissime affirment, se omnes Contributiones publicas bona fide integras extradidisse, eoque nomine sufficientibus quietationibus sibi prospectum esse, quas *coram Sacra Regia Majestate, Domino Nostro Clementissimo, ubi nimirum vigore privilegiorum suorum tantum conveniri possunt,* exhibere, si opus fuerit, non detrectant: Proinde hasce ad Illustritatem Vestram literas dandas esse duximus, majorem Eandem in modum rogantes, dignetur Illustritas Vestra causam hanc benigne considerare, autoritateque sua efficere, ne præfatus Magnificus Dominus Oeconomus in re liquida & sopita molestetur, vel *in foro alieno* contra Civitates Prussiæ præter ipsarum culpam quicquam attentetur ac statuatur: Hoc ipso enim nihil aliud fieret, quam ut Autoritas Illustriss: Reverendiss: Illustrium ac Magnificorum Dominorum Commissariorum, quâ freti Status & Ordines ad sublevandas publicas necessitates tam promtos sese exhibuerunt, quales forte citra assecurationis istius spem non fuissent, non solum labefactaretur, sed & ipsimet Status & Ordines Prussiæ, in similibus casibus, quos DEUS avertat, desererentur atque inducerentur, ne tantum roboris ejusmodi assecurationibus in futurum tribuerent. Non dubitamus Illustritatem Vestram æquam provinciæ hujus justissimæque petitionis nostræ rationem habituram esse. Quo ipso præterquam quod rem Autoritate

tate Suâ & laude dignam factura est, ita nos sibi devinciet, ut nunquam Studia nostra Eidem contestari intermissuri simus. De cætero Illustritati Vestræ diuturnam Valetudinem omnisque felicitatis incrementa comprecamur. Datum Mariæburgi in Conventu Generali 11. Maij 1618.

Illustritatis Vestræ

Ad officia parati

Consiliarii Terrarum Prussiæ.

No. 45.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in præsenti Conventu Mariæburgensi congregati, præmissa salute & studiorum nostrorum, pro Status cujusque exigentia, commendatione, significamus præsentibus literis nostris, Magnificum ac Generosum Dominum Melchiorem Weiher Terrarum Prussiæ Thesaurarium, Oeconomum Mariæburgensem, Dirschoviensem, Nowodworiensemque Capitaneum, in præsenti Conventu Terrarum Prussiæ retentarum contributionum tabulas, alteram annorum præteritorum, alteram 1616. & 1617. sub manu & Sigillo Illustris ac Magnifici Domini Thesaurarii Regni, in medium protulisse, simulque, ut si alicubi retentarum istarum quicquam residui esset id Thesauro fideliter inferretur, nec super id *decisio Judicii Radomiensis* expectaretur, admonuisse: Ad quod, cum Nobilitas, eorum se, quæ sibi imputarentur, rationes reddituram esse ostenderet, *Civitatum quoque Majorum Internuncii intulerint, se coram dicto judicio non modo forum non habere*, sed ne minimum quidem ex publicis contributionibus debere,

bere, idque sufficientibus quietationibus è Thesauro acceptis, in *foro competenti nimirum coram Sacra Regia Majestate*, si opus fuerit, demonstrare posse. In cujus rei fidem Sigillum Terrarum Prussiæ præsentibus est subappressum. Datum in Conventu Generali Mariæburgensi die 11. Mensis Maii, Anno 1618.

No. 46.

Actum Mariæburgi in Conventu Generali Terrarum Prussiæ die 3. Januarii Anno 1619.

POsteaquam in Conventu moderno Generali à Sacra Regia Majestate Terris Prussiæ indicto, Statibus & Ordinibus relatum est, quod *Judicium Radomiense* ad instantiam Instigatoris Thesauri Regni *Civitates Majores Prussiæ, quæ vigore jurium atque Privilegiorum suorum non nisi coram Sacra Regia Majestate, Domino Nostro Clementissimo legitime conveniuntur, & comparere tenentur*, in causa & actione ob prætensa quædam *contributionum publicarum retenta*, foro adinvento in ulteriori processu ad Conventum Regni Generalem proximè venturum adeoque nunc instantem remisit, & terminum iisdem conservavit atque præfixit, sicut latius Decretum Radomiense præmissa continet. Idcircò in præsentiâ totius Conventus, prout è proximè præterito Conventu Mariæburgensi, Domini Consiliarii datis ad præfatum Judicium Radomiense intercessorialibus literis de prædictis Juribus ac Privilegiis Civitatum attestati sunt, & quantum se quoque prædicta causa concernat, ostenderunt: ita nunc eo attento, quod præjudicium ex præfato Decreto emergens *communes* Terrarum Prussiæ libertates tum & Universales literas An. 1612. die 5. Nov. Mariæburgi communi consensu Statuum atque Ordinum laudatas & denuo Neoburgi Anno 1614. die 14. Aprilis approbatas

batas atque confirmatas afficiat, præcavere volentes indemnitati jurium ac Privilegiorum communium, Civitates Majores Prusſiæ proteſtantur; Quandoquidem à Conſtitutione Anni 1613. ad quam Conſtitutio proximè præteritorum Anni 1618. comitiorum de Tribunali Radomenſi lata, in toto ſe refert, Civitates prædictæ immunes ac liberæ fuerunt, eoque nomine proteſtatæ ſunt, & *conſtat Easdem Judicio Radomienſi nunquam ſe ſubmiſiſſe*, verum ab eo tempore, quo ad Regnum cum cæteris Statibus & Ordinibus Prusſiæ ſpontanea voluntate ac deditione acceſſerunt, *Judicio Sacræ Regiæ Majeſtatis* ſubjectas & publicis Regni legibus exceptas reſervatasque eſſe: Ideoque ad agnoſcendum forum Judicii Radomenſis Easdem non teneri, adeoque nec Decretum ibidem tanquam *in foro alieno incompetenter* latum, neque remisſionem ad Comitia factam illas obligare, præſertim cum in foro ſuo coram Sacra Regia Majeſtate legitimo & competenti, ratione aſſertorum, uti prætenditur, Retentorum de Contributionibus publicis reſpondere ſe offerant, de quo ſolennisſimè communi nomine iterum proteſtantur; Quam ſuam *Proteſtationem* porrò Actis quibusque authenticis inſinuandi, facultatem atque poteſtatem hi, quorum intereſt, habituri ſunt, præſentium vigore. In præmiſſorum fidem Sigillum Terrarum Prusſiæ eſt ſubappreſſum. Actum & Datum ut ſupra.

No. 47.

Ex Reſponſo quod Nuntius Regius â Statibus & Ordinibus Prusſiæ accepit in Conventu Generali Mariæburg. 1619. d. 3. Januarii.

ORant â Sacra Regiâ Majeſtate eâ quâ par eſt animorum humilitate ut Sacra Regia Majeſtas Privilegiorum & libertatum Terrarum Prusſiæ clementisſimam rationem

nem habere — — denique à *Decreto Radomiensi* Terrarum & Civitatum Prussiæ præjudiciali *occasione assertorum de publicis Contributionibus retentorum in foro incompetenti* lato, *Civitates Prussiæ, prout judicio Sacræ Regiæ Majestatis reservatæ* & humillimè subjectæ sunt, seque ibidem Juri offerunt, liberas efficere clementissimè dignetur.

No. 48.

Ex Instructione Statuum & Ordinum Prussiæ Nuntiis ad Comitia Varsaviensia in Conventu Gener. Mariæburg. d. 3. Januarii Anno 1619. datâ.

UT ratione assertorum de contributionibus publicis retentorum incolæ Terrarum Prussiæ extra forum incompetens non evocentur *& Civitates Prussiæ non obstante præjudiciali Decreto Radomiensi tantum in judicio Sacræ Regiæ Majestatis, cui ab antiquis temporibus subsunt, forum legitimum habeant.*

No. 49.

Excerptum ex Decreto Regis Sigismundi III. Civitates Majores Prussiæ in causa prætensarum ab iis contributionum ex Accisâ & vectigali Fordanico ad Judicium Tribunalis Radomiensis non pertinere declarante Anno 1621.

Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c.

IN modernis itaque Regni Comitiis Generalibus, termino ex præfata remissione incidente, & huc usque continuato

partibus præfatis actoreâ Instigatore Regni personaliter, citatâ vero per Nobilem Andream Slepowronski coram Nobis comparentibus, eumque terminum attentantibus & *controversias suas imprimis ratione Fori coram judicio Tribunalis Radomiensis* agitatas repetentibus, iisdemque citatis vigore Privilegiorum suorum Forum coram judicio præsenti Conventus Regni Generalis declinantibus & ad Nos Judiciumq; Nostrum post Curiam se remitti postulantibus, Nos cum Consiliariis & Senatoribus Regni Nostri ad Conventum præsentem congregatis lateri Nostro assidentibus auditâ & diligenter perpensâ partium controversiâ, eoque animadverso, quod causa præsens pro cognitione & interpretatione Privilegiorum ad judicium præsens Conventus Regni Generalis remissa est, *Cognitio vero Privilegiorum non nisi Nobis Judicioque Nostro post curiam Nostram competit, id eo causam eo* remittendam esse duximus, remittimusque. — — — In cujus rei fidem Sigillum Regni Nostri præsenti est appressum. Datum Varsaviæ in Conventu Regni Generali feria 5. postridie Festi Nativitatis beatissimæ Virginis Mariæ. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo vigesimo primo, Regnorum nostrorum Poloniæ vigesimo 4to, Sueciæ vigesimo octavo.

Venceslaus de Leszno Vice-
Cancellarius Regni

Relatio Illustris & Magnifici Domini Venceslai
â Leszno Leszinski, Regni Poloniæ Vice-Cancellarii, Bresten: &c. Capitanei

Johannes Gumowski.

No. 50.

No. 50.

Atteſtatio & Declaratio Supremi Regni Theſaurarii quod Civitates Prusſiæ ratione non ſolutarum contributionum ad Tribunal Radomienſe evocatæ, eidem non ſint ſubjectæ.

Joannes Nicolaus Danilowicz de Zurow, Supremus Regni Theſaurarius, Præmislienſis Sambor: Colens: &c. Capitaneus.

NOtum teſtatumq; facio præſentibus literis meis. Quandoquidem ex delatione Illuſtrisſimi Domini Palatini Pomeraniæ uti Oeconomi Terrarum Prusſiæ Civitates Thorunenſis & Gedanenſis ad *Judicium Tribunalitium Radomienſe* proximè præteritum ratione *non ſolutionis Contributionum*, ſive Acciſarum Anno Domini 1630. in Conventu Generali Graudentinenſi laudatarum citatæ fuerunt, ibidemque Juribus & Privilegiis ita ſe tutatæ ſunt, ut Forum illud ſibi competens non eſſe deducerent, ſed potius in Foro competenti, hoc eſt, poſt Curiam Sacræ Regiæ Majeſtatis ſe reſpondere teneri docerent, ac propterea interventu meo Terminus ex eâdem citatione proveniens *re bene perpensâ* non eſt attentatus, neque cauſa in Judicium præfatum deducta fuit; Proindè Mandatario ac Plenipotenti dictarum Civitatum Thorunenſium & Gedanenſium per expreſſum declaravi, prout vigore præſentium *declaro, me & Theſaurum non amplius ex delatione ſui, neque in hac neque in alia ſimili cauſa poſthac cum Civitatibus iisdem, nonniſi in foro competenti jure acturos & ejusmodi Citationibus extra forum competens easdem non evocaturos.* In cujus rei fidem præſentes manu mea ſubſcripſi

 ſcripſi

ſcripſi & Sigillum meum apponi mandavi. Datum Varſaviæ die 27. Menſ. Novembr. Anno Domini M. DC. XXXIII.

Joannes Nicolaus Danilowitz,
Theſaurarius Regni.

No. 51.

Ex Decreto Vladislai IV. Regis inter Magiſtratum reliquosque Ordines Civitatis Gedanenſis Actores, & Generoſum Lucam Trzcinski Vice-Palatinum Pomeraniæ & Nobilem Stanislaum de Kukzki Solikowski, ratione indebitæ evocationis, occaſione quaſi denegatæ extraditionis acciſarum ad Judicia Vice-Palatinalia factæ. adjudicati fori, nec admiſſæ ad Regem Appellationis, quin & publicatæ bannitionis. Varſaviæ fer. 5. Poſt Feſtum Omnium Sanctorum proxima Anno 1644. lato.

IN termino hodierno — Nos cum Conſiliariis & Jurisperitis Noſtris, auditis Partium controverſiis & allegationibus, Appellationibus ad Nos & Judicium Noſtrum per Actores interpoſitis admisſibilibus & ad præſens coram Nobis & Judicio Noſtro proſequibilibus adinventis, totoque ſubſequenti proceſſu caſſato & annihilato, Partibus de validitate Decreti adinventi fori jure experiri injunximus. Experientibus vero Partibus & de validitate ejusdem Decreti diſceptantibus, Nos cum iisdem ConſiliariisNoſtris Partium utrarumque illatis rationibus bene perpenſis, Decretum memoratum una cum toto cauſæ proceſſu & in ſpecie pœna bannitionis

nis incompetenter latæ & publicatæ cassamus & annihilamus, Citatos nihilominus modernos, præcipue vero Nobilem de Kukzki Solikowski principalis negotii Actorem *à pœnis Legum publicis ratione evocationis sancitis* ex clementia & benignitate Nostra Regia liberos facimus & pronuntiamus præsentis Decreti vigore.

No. 52.

Ex Decreto Regio inter Generosum Instigatorem Regni ejusque Delatores Nobiles ProConsules, Consules, Scabinos totamque Communitatem Civitatis Gedanensis Actores prosecutionum & Generosos Commissarios ad judicandas causas Fisci ad Civitatem Neoburgensem Anno 1662. per Conventum Generalem Terrarum Prussiæ deputatos, uti Judices, atq; Instigatorem Judicii ejusdem & Generosum Edwardum Ryben Thesauri Terrarum Prussiæ Notarium, Citatos, in puncto indebitæ evocationis ratione prætensæ laudatarum in Conventu Prussiæ Accisarum retentionis ad dictum Judicium Commissoriale Neoburgi institutum, ibidemque nulliter decretæ pœnæ peculatus & infamiæ, Leopoli in Judiciis Relationum Sabbatho ante Dominicam Ramis Palmarum proximo Anno 1663. ex partium controversiis lato.

IN termino hodierno ex remissa Judicii Assessorum Nostrorum legitimè ad præsens proveniente Partibus coram

Nobis Judicioque Relationum Noſtrarum propriarum comparentibus —— Nos cum Senatoribus lateri Noſtro asſidentibus poſt Partium controverſias, Remiſsâ per Judicium Noſtrum Aſſeſſoriale ad Nos Judiciaque Relationum Noſtrarum propriarum factâ neceſſariâ adinventâ, illamque expediendo Appellationem à ſententia fori adinventi per Actores modernos ad Nos Judiciumque Noſtrum interpoſitam, & non admiſſam, pro illo tempore admisſibilem & ad præſens coram Nobis Judicioque Noſtro proſequibilem eſſe adinvenimus, Partesque de validitate ſententiæ Judicii Commiſſorialis, videlicet fori adinventi experiri jusſimus. Cum verò partes præfatæ inter ſe pro & contra juridicis rationibus diſceptarent, Nos cum iisdem Senatoribus lateri Noſtro asſidentibus, auditis partium controverſiis ſententiam ſupraſcripti Judicii Commiſſorialis nimirum fori adinventi, *quoniam Actores directè Jurisdictioni Noſtræ ſubſunt*, ac inſiſtendo præjudicatis, retractandam eſſe duximus ac præſentibus retractamus, nec non ſubſequentem proceſſum tollimus, caſſamus & annihilamus una cum pœna Peculatus, Decreti Noſtri præſentis vigore.

No. 53.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusſiæ in moderno Conventu Generali Mariæburgi congregati, Univerſis ac ſingulis, quorum intereſt, notum teſtatumq; facimus, quod cum in Comitiis Regni Generalibus Ao. 1661. habitis, Conſtitutio ſub titulo Cło Generałne ſancita, contra quam non tantum Magnifici & Generoſi Domini Nuncii harum Terrarum, uti Juribus & Privilegiis earundem contrariam coram Actis publicis proteſtati ſunt, verùm etiam in proximè ſubſecuto Conventu, harum Terrarum nomine, mediante Laudo publico ſolennis Manifeſtatio interpoſita

posita sit; Et verò in moderno Conventu Nobis relatum est, quod *Judicium Tribunalitium Radomiense* non attentis istis supra allegatis omnibus, *Civitates harum Terrarum earumq; Cives, qui vigore Jurium atq; Privilegiorum suorum nonnisi coram Sacra Regia Majestate, Domino Nostro Clementissimo, legitimè conveniuntur*, & comparere tenentur, specialiter verò Civitatem Gedanens. in causa & actione subsidii Generalis ad Comitia Regni proximè ventura remisit, & terminum eidem conservavit atque præfixit, contra Mercatores verò Thorunens. prosecutionem & executionem Decreti ratione Theloneorum in contumaciam illorum prolati decrevit, prout latius Decretum Radomiense præmissa continet. Idcircò eo considerato, quod præjudicium ex præfato Decreto emergens communes harum Terrarum Libertates de Theloneis disponentes, atque seorsiva Civitatum Jura ratione fori iisdem competentis afficiat, præcavere volentes indemnitati Jurium & Privilegiorum communium Terrarum harum, atque Specialium Civitatum, manifestamus, quoniam constat *Civitatem Gedanensem Mercatoresq; Thorunens. Judicio Radomiensi subesse non posse*, verùm Civitates earumque Cives ab eo tempore, quo ad Regnum cum Terris hisce spontaneâ voluntate accesserunt, Judicio Sacræ Regiæ Majestatis unicè subjectas, & publicis Regni legibus exceptas reservatasque esse, ad agnoscendum forum Judicii Radomiensis tam Civitatem Gedanensem quàm Mercatores Thorunenses, non teneri, adeoq; nec Decretum ibidem tanquam *in foro incompetenti*, atque in causa notabili Theloneali, Nos in universum concernente, latum, Mercatores Thorunenses, neq; remissionem in causa Subsidii Generalis ad Comitia factam Civitatem Gedanensem stringere vel obligare, multo minus ratione Theloneorum communibus harum Terrarum & Civitatum Juribus ullo modo præjudicare atque obesse posse aut debere, Laudi præsentis vigore. In præmissorum fidem Sigillum

gillum Terrarum subappressum est. Actum & datum Mariæburgi in Conventu Generali die 8. Julii Anno 1671.

No. 54.

Ex Instructione Nuntiis â Conventu Generali Graudent. d. 7. Jan. An. 1672. datâ.

QVandoqvidem *Judicium Tribunalitium Radomiense* Civitatem Gedanensem in causa & actione subsidii generalis ad Comitia Regni proximè ventura remisit, & terminum Eidem conservavit atqùe præfixit, juxta obloquentiam istius Decreti: Idcircò si præfata causa in futuris Regni Comitiis acclamari vellet, Illustres, Magnifici & Generosi D. D. Nuncii inhærendo Laudo Manifestationis contra illam Remissam in nupero Conventu Mariæburgensi sancito, instantissimè urgebunt, ut Civitas Gedanensis à *prædicta remissione ad Comitia* libera & immunis maneat, eò consideratô, quòd Civitatem istam ratione subsidii generalis præjudicium illud ex præfatô Decretô emergens, Civitatumque Jura ratione *fori iisdem competentis* afficiat, adeoque nec *Decretum* ibidem tanquàm in foro incompetenti latum, neque *remissionem* in causa subsidii generalis ad Comitia factam, Civitatem suprà nominatam stringere vel obligare possit aut debeat.

No. 55.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali Graudenti congregati Universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus; Non sine ingenti perturbatione Nos percepisse, quâ ratione nuperum *Judicium Commissoriale Tribunalis Radomiensis* Leopoli Lublinum novellâ Confœderatione Regni Generali

nerali translatum contra has Terras in persona Illustrissimi & Excellentissimi Domini *Palatini Pomeraniæ*, uti earundem *Thesaurarii*, non attentis Illustrium & Magnificorum D.D. Deputatorum ex his Terris ad eandem Commissionem ordinatorum cum fundamentalibus & validis rationibus ibidem allegatis, ac si *ob non illatam integrè in Thesaurum Regni Subsidii personalis Contributionem* Constitutione Regni Anni 1673. in Regno laudatam Decreta pœnæ peculatus tulerit: Cùm verò Terræ Prussiæ ab ipsâ suâ ad Regnum accessione huc usque semper in liberrimo sciscendarum & modificandarum contributionum usu maneant, & quotiescunque subveniendo necessitatibus Reipublicæ aliquas decrevissent, easdem *non ex impositione sancitorum Reipublicæ sed liberis ac spontaneis voluntatibus pro modulo facultatum in Conventibus suis* ordinarint & contulerint, atque etiam de quantitate collectarum Illustrissimus Dominus Thesaurarius rationes non Thesauro Regni, sed ipsis Statibus & Ordinibus reddiderit, & reddere teneatur, tum verò *negotium Contributionum in his Terris ad materiam Status Reipublicæ, minimè verò ad Processus Judiciarios* pertineat, adeò ut præmemorati Domini Deputati ex rationibus Jura Cardinalia, Libertates & Immunitates Nostras afficientibus ex loco Judicii cum Protestatione discedere necesse habuerint, easdemque posteà Protestationes in castris Cirnen. & Gostinen. Actis publicis inscribi fecerint; Ideò nos inhærendo iisdem Protestationibus de præfatorum Decretorum illegalitate & nullitate, aut si quæ alia ratione aliarum quarumvis *in Terris Prussiæ non laudatarum Contributionum* per Judicium suprafatum Commissoriale irrogatæ sunt aggravationes, tum & de integritate Jurium Terrarum Prussiæ quàm solennissimè Laudi præsentis vigore protestamur & expostulaturos Nos apud Rempublicam unanimiter pollicemur. In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ hisce subappres-

 sum

ſum eſt. Actum & datum Graudenti in Conventu Generali Ante-Electionali die 4. Menſ. Aprilis Anno 1674.

No. 56.

Ex Inſtructione Nuntiis Terrarum Pruſſiæ ad Comitia Varſavienſia ex Conventu Generali Graudentinen: d. 4. April. 1674. datâ.

INprimis autem cùm recentium Vulnerum dolor exquiſitiùs feriat ſenſus, ante omnia Illuſtrisſimi Magnifici & Generoſi D. D. Nuntii gravisſimè in publico omnium Ordinum Conſeſſu conquerentur, in quantam nos perturbationem conjecerint novisſimæ *Commisſionis Lublin. Decreta* in perſona Illuſtrisſimi & Excellentisſimi Domini Palatini Pomeraniæ, uti *Terrarum Pruſſiæ Theſaurarii*, contra easdem cum enormi Jurium & Libertatum earundem convulſione lata, cùm de facultate ſciſcendarum & modificandarum in his Terris Contributionum ab ipsâ illarum ad Regnum Poloniæ acceſſione ſemper illibatâ retentâ præjudicium ferri, atque abſentibus & non requiſitis, imò ſæpiùs diſſenſum ſuum teſtantibus diverſi generis *Contributionum in Regno laudatarum apud Nos inſolitarum*, & ipſæ etiam Reipublicæ, prout ex eventu apparuit, impracticabilium ſolutionem, cum terrore pœnarum peculatus imponi non dubitatum, ac deniq; etiam duplicis Subſidii perſonalis nuperâ Regni Confœderatione ſanciti ſolvendi neceſſitatem injici tentatum ſit, cùm tamen ſupremo univerſæ Reipublicæ conſenſu de toto Contributionum genere & materiis in vim ſubſidii Reipublicæ expediendis ſecundùm Jura & Conſuetudines Terrarum Pruſſiæ ex re viſum fuerit; huic juſtisſimo dolori ut maturum & competens admoveatur remedium, abrogatisque illis *Decretis Commiſſorialibus Libertates Prutheneas petentibus* Jura & Conſvetudines earum intemerata

merata relinquantur, Illustrissimi, Magnifici & Generosi D.D. Nuntii laudabili sua dexteritate, & quâ par est, observantiâ cum perinclytis Regni Ordinibus agent, imò verò *nulla alia negotia tractari, nisi hoc remoto obstaculo*, & si quæ alia insuper in eadem Commissione cum aggravatione hujus Provinciæ introducta esse patuerit, permittent. Sicut autem juvandæ Reipublicæ Prutheni nunquam subsidia sua detraxerunt, ac nuper etiam in gravissimis ejus periculis suo modo & pro modulo facultatum subvenerunt, ita & inposterum, dummodò in præmissis suorum Jurium & Consuetudinum læsionibus restituti fuerint, pro viribus & facultatibus solitâ promptitudine se minimè defuturos esse offerunt.

No. 57.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali Graudentinensi congregati notum testatumque facimus universis ac singulis quorum interest. Quandoquidem Nobis non sine acerbo animorum dolore innotuerit, qualiter Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Vladislaus Łos Palatinus Pomeraniæ *Terrarum harum Thesaurarius* injuriosis ac Dignitatem non minus Senatoriam prædicti Illustrissimi ac Excellentissimi Domini Palatini Pomeraniæ, quàm officii Thesaurariatus Terrarum Prussiæ maximè lædentibus Decretis & Officium Castrense Palatinale Pomeraniæ atque etiam Magnificus Dominus Joannes Elzanowski ad lege publica præfinitum Tribunal Radomiense ex Mariæburgensi Palatinatu Judex Deputatus, intra ultra lege præscriptum adeoque Jurisdictioni Tribunalitiæ minimè serviens tempus latis enormiter aggravati sint, insuper quoque Magnifici Elzanowski vox libera adeoque pupilla ipsa libertatis tuitioque Jurium Terrarum harum impetita læsaque est, illa autem supra memorata Decreta non in legitimo

gitimo

gitimo lege publica præſcripto termino contra Illuſtrisſimum atque Excellentisſimum Dominum Palatinum Pomeraniæ Theſaurarium harum Terrarum Ejusque Officium Caſtrenſe atque Magnificum Dominum Elzanowski lata & publicata ſunt, ipſique prætenſi Judices lege circumſcriptos exceſſere gradus, hinc *Eadem Decreta, utpotè contra Jura & immunitates Terrarum harum lata, etiam pro nullis cenſemus*, inſuperque inſiſtendo eſſentialibus Proteſtationum per præfatum Magnificum Elzanowski eò nomine factarum, ac per Mariæburgenſ. & Pomeraniæ Palatinatus in Conventibus publicis reaſſumptarum, præſentibus manifeſtamus, omnia hæc quæcunque in iſto Conventu extra mentem legis coacto præjudiciosè acta geſtaque ſunt, dicto ſæpius Illuſtrisſimo atque Excellentisſimo Domino Palatino Pomeraniæ Ejusdemque Officio Caſtrenſi, vel honori ac dignitati Senatoriæ, atque etiam Magnifici Joannis Elzanowski integræ famæ ac exiſtimationi nullo modo nocere, multo minus vero etiam muneri Theſaurariatus tot legibus & Conſtitutionibus publicis aſſecurato, uſuque continuo firmato, atque Terrarum harum immunitatibus ac Privilegiis quicquam officere aut derogare debere nec poſſe. Hâc Noſtrâ manifeſtatione mediante. In quorum fidem Sigillum harum Terrarum hiſce ſubappreſſum eſt. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali d. 30. Junii An. 1687.

No. 58.

NOs Status & Ordines Terrarum Prusſiæ in moderno Conventu Generali Graudentinenſi congregati notum teſtatumque facimus Univerſis ac Singulis quorum intereſt; Cum in nupero *Tribunalis Radomienſis* Conventu privato, ultra legis præſcriptum attentato, non tantum præjudicioſum ac maximè pergravabile Decretum contra Illuſtrisſimum atque Excellentisſimum Dominum Vladis-

laum

laum Łos *Palatinum Pomeraniæ Terrarum harum Thesaurarium*, Officiumque ejus Castrense, atque Magnificum Dominum Joannem Elzanowski, ex Palatinatu Mariæburgensi ad lege præfinitum Tribunal Radomiense Deputatum Judicem cum summa & clarissimarum personarum, deque his Terris optimè meritarum, & imprimis Terrarum harum jurium atque immunitatum, statusque nobilitaris & liberæ vocis læsione Feria quinta post Dominicam Lætare Quadragesimalem proxima Anno præsenti, *inaudito ab incorporatione exemplo*, suasu & impulsu Generosi Sebastiani Gilbatzewski Instigatoris Regni latum publicatumque sit, verum etiam in fundamento juris pro tuendis juribus Terrarum harum â Magnifico Domino Deputato Judice interposita protestatio, in maximum Earundem supramemoratarum personarum contemptum atque injuriam fœde ac turpiter in publico Radomiensi Civitatis foro per executorem justitiæ contumeliosissimè vigore ejusdem Decreti in præjudicium liberæ vocis atque æqualitatis combusta, terrisque hisce eo ipso, modo hactenus inpracticabili, crudelis in amiæ nota citra omne suum meritum inusta sit. Hinc tam atrocem injuriam altissimo doloris percipientes sensu, talibus injustis ausibus atque perperam planè & supra specificatis personis & signanter Juribus Terrarum harum Cardinalibus & liberæ voci illatis injuriis salubriter consulendo, auctoritate præsentis Conventus statuimus, quod vicissim demerito talionis jure *injuriosum illud Decretum* in termino illegitimo latum *per Executorem Justitiæ pro futuro Conventu comburi in foro publico* extra omnem contradicendi facultatem irremissibiliter debeat. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce sub appressum est. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali d. 30. Junii Anno 1687.

No. 59.

Ex Instructione Provinciæ Prussiæ Nuntiis ad Sacram Regiam Majestatem ex Conventu Generali Graudentinensi d. 30. Junii An. 1687. datâ.

ET quidem qualiter gravissimo cum doloris sensu Status & Ordines tam acerbam & antea nunquam auditam à privato *Radomiensi*, ultraque tempus lege præscriptum coacto Conventu, Illustrissimo ac Excellentissimo Domino *Palatino Pomeraniæ, Terrarum harum Thesaurario*, Ejusque Officio Castrensi atque Magnifico Joanni Elzanowski ad Tribunal Radomiense intra lege præfinitum tempus Deputato Judici, promulgatis adversus Eosdem gravaminosissimis Decretis, atque per latus illorum harum Terrarum Juribus ac immunitatibus illatam injuriam, quibusque se hic Domi in Conventu suo adversus eandem sub fortissimo Sacræ Regiæ Majestatis, Domini sui clementissimi, militantes clypeo præservarint mediis, simulque Sacræ Regiæ Majestati supplicabunt, quo Clementissima auctoritate Sua eos benignissimè inire dignetur modos, quo Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Palatinus Pomeraniæ, Terrarum harum Thesaurarius ab ulteriori ejusdem Conventus privati Radomiensis impetitione penitus securus esse atque nullis extra Provincialibus harumque Terrarum juribus contrariis executionibus aut illegitimis processibus inquietari possit.

No. 60.

Augustus II. DEI Gratiâ Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ &c.

SIgnificamus præsentibus, quorum interest, Universis & Singulis. Posteaquam â Nobili Magistratu & reliquis

Civi-

Civitatis Nostræ Gedanensis Ordinibus, eâ quâ par est, ratione nobis expositum fuit, quàm gravia præjudicia receptis ejusdem Juribus ac Privilegiis inde illata sint, quod Bona ipsius Patrimonialia ab aliquo tempore ad concedenda Militibus hospitia, ingentesque eorundem causâ erogandas expensas coacta fuerint, ita ut reditibus ex iisdem fundis percipi solitis, Civitas plenè uti frui haut potuerit, eâque de causa precibus quàm humillimis Nos eadem Civitas imploravit, ut dicta *Bona Patrimonialia in libera Jurium Immunitatumque avitarum possessione* tueri, iisdemque contra ejusmodi turbationes prospicere clementissimè dignemur. Nos devotissimo huic desiderio locum daturi hujus Diplomatis vigore pro Nobis & Successoribus Nostris declarandum duximus, *quod dicta Nostra Civitatis Gedanensis Bona Patrimonialia ac Territorium ejus, aut quæcunque Territorii fuerit pars, ab omnibus Militum transitibus, pabulationibus, Stationibus, Contributionibus, aut aliis quibusvis hujus generis oneribus, quocunque veniant nomine, perpetuò exempta, tamque libera esse debent, ut contra quoslibet talia inferre audentes, sive Nostri aut Reipublicæ Milites sint, sive alieni aut extranei, Regiam Nostram Authoritatem, protectionem ac defensionom, modis quàm efficacissimis, omni belli pacisvè tempore præstitum iri*, hisce clementissimè polliceamur. In quorum fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni muniri jussimus. Datum Gedani die XXIV. Mensis Octobris Anno Domini M. DCCX. Regni Verò Nostri XIV.

AUGUSTUS REX.

Joannes Chrysostomus Rogalli,
Varsav. Guttstad. Canonicus Protonot. Aplicus, Sacræ Regiæ Majestatis & Sigilli Majoris Regni Secretarius.

No. 61.

No. 61.

Literæ, ut vocantur, Salvaguardiæ â Serenissimo Rege Polon. Augusto II. Territorio Gedanensi datæ Anno 1710.

WIr Friedrich August von Gottes Gnaden König in Pohlen/ Groß-Hertzog in Litthauen/ Reussen/ Preußen/ Mazovien/ Samogitien/ Kiovien/ Vollhienien/ Podolien/ Podlachien/ Liefland/ Smolensko/ Severien und Zschernikovien/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve/ Berg/ Engern und Westphalen/ des Heil. Röm. Reichs Ertzmarschall und Churfürst/ Landgraff in Thüringen/ Marggraff zu Meißen/ auch Ober- und Nieder Lausitz/ Burggraff zu Magdeburg/ Gefürsteter Graff zu Henneberg/ Graff zu der Marck/ Ravensberg und Barby/ Herr zu Ravenstein/ etc. Hiedurch fügen zu wissen: Demnach wir die der Stadt Dantzig zugehörige/ und in dem Werder gelegene Dörffer/ und alle andere Kampen mit allen an- und zubehörungen in Unsern besondern gnädigsten Schutz und Protection genommen/ dergestalt/ daß selbige **von allen Einquartirungen** / Contributionen / Exactionen / Fouragirungen **Podwoden und Vorspannungen auch sonst allen andern** militarischen **Anfoderungen**/ Executionen **und** molestirungen eximiret **und befreyet seyn sollen.** Als befehlen Wir hierdurch gnädigst und ernstlich an gesambte unsere Generalität / auch alle andere hohe und niedrige Officirer sambt gemeiner Soldatesque Unserer Armeé sich hiernach gehorsahmst zu achten/ beregte Dörffer mit deren Zubehörungen in alle wege mit obberührten

ten Anmuthungen / auch sonst allen anderen Gewaldthätigkeiten und Belästigungen / es sey an Personen/ Häusern/ Gütern/ und anderer Haab und Vermögen/ gäntzlich zu verschonen/ und also wieder diese Unsere Salve Gvarde in keinerley weise zu handeln / oder handeln zu lassen/ bey vermeydung Unserer Ungnade und schweren Verantwortung / auch nach befinden ernster Ahndung und unausbleiblicher Bestraffung / wie denn auch sonst im übrigen an jedermänniglich / denen dieses vorgewiesen werden möchte/ sonderlich der Crohn und denen Czaarischen Auxiliar - Trouppen hierdurch Unser gnädiges Gesinnen und Begehren ergehet / diesen Unseren ertheilten Schutz-Brieff gebührend zu respectiren. Urkundtlich vermittelst Unserer eigenhändigen Unterschrifft und vorgedruckten Königl. Chur-Secret. Datum Dantzig / den 6. Decembr. Anno 1710.

AUGUSTUS REX.

Adam Friedrich von Braun.

Das Bau-Ampt / die Nehring / Scharpau und Höchte wie auch Hela / und die Hospital-Dörffer / haben gleichen Innhalts Salve - Garde Briefe erhalten.

Versio latina.

Nos Fridericus Augustus, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. S. R Imp. Archi-Mareschallus & Princeps Elector, &c. &c. &c.

Hisce notum facimus, postquam Civitatis Gedanensis Bona Patrimonialia, speciatim in Insula Stublaviensi sita, omnesque reliquas insulas cum omnibus at- & pertinentiis in specialem Nostram defensionem & Protectionem recepimus, ita ut *ab omnibus hospitationibus, Contributionibus, Exactionibus, Pabulationibus & angariis & in genere omnibus militaribus prætensionibus, Executionibus & molestiis exempta & libera* esse debeant, Eapropter præsentibus pro gratia nostra & serio mandamus omnibus nostris Generalibus cæterisq; superioribus atque inferioribus Officialibus gregariisque militibus Copiarum Nostrarum, ut mandatis hisce Nostris obsequantur, & in præfatis Bonis Patrimonialibus & eorum pertinentiis, quovis modo & tempore, à prædictis prætensionibus, omnibusque aliis violentiis, & aggravationibus, quoad personas, domos, facultates & reliquas fortunas penitus supersedeant, adeoque hisce Nostræ Salvogardiæ-Literis nullatenus contraveniant, nec alios contravenire permittant, nisi gratiâ Nostrâ excidere, de attentatis respondere, & pro ratione circumstantiarum gravissimis & irremissibilibus subjacere velint pœnis: Quemadmodum etiam ab omnibus & singulis, quibus hæ literæ monstrabuntur, imprimis ab *Exercitu Regni* & auxiliaribus Czareæ Majestatis Copiis clementissimè requirimus, ut has Salvaguardiæ Nostræ literas in respectu debito habeant. In præmissorum fidem præsentes manu No-

stra

ſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni atque Electorali communiri juſſimus Dab. Gedani die VI. Decembr. Anno 1710.

AUGUSTUS REX.

Adamus Frider. de Braun.

Ejusdem tenoris Salvogardiæ-Literas etiam pro Neringenſibus, Scharpavienſibus & Montanis ut & Ædilitiis Helenſibus & Hoſpitalaribus Bonis Civitatis patrimonialibus Sacra Regia Majeſtas expediri curavit. Eodem die & Anno.

No. 62.

Literæ Sereniſſimi Regis Polon. Auguſti II. ad Supremum Regni Exercituum Ducem. Anno 1711.

AUGUST Wtory Krol Polski, &c.

Jaſnie Wielmozny Uprzeymie Nam miły.

PRzysłało do Nas az na to mieyſce Miaſto Naſze Gdansk Umyslnego ſwego ſupplikuiąc o zaſzczyt y conſervatią circa libertates & immunitates Miaſtu pomienionemu y Dobrom Jego ſervientes. Więc jakosmy pod bytnoſcią Naſzą partykularną temuſz Miaſtu przyobiecali Protekcyą, y przy Prawach y Wolnoſciach ich conſervatią, tak

 ządamy

zadamy po Uprz. W. *abyś pomienione Miasto, Decus Provinciey Pruskiey owszem y całego Panstwa Naszego y Rzeczy Pospolitey w osobliwcy miał consideracyi, y Dobra iego od wszelkich impetycyi, aggravatyi, exekucyi y ciężarow woyskowych władzą swoią Hetmanską zaszczycał.* Co Uprz: Wszey uśilnie zalećiwszy dobrego onemu od Pana Boga zyczemy zdrowia. Dan w Obozie pod Stralsundtem dnia 7mo. MCa: Oct. Roku Panskiego M DCC XI. Panowania Naszego XV. Anno.

AUGUSTUS REX.

Jaśnie Wielmoznemu Adamovi Sieniawskiemu, Kasztelanowi Krakowskiemu, H. W. K., Uprzeymie Nąm miłemu.

Versio præcedentium Literarum.

Augustus II. Dei Gratia Rex Poloniæ &c.

Illustrissimè, Sincerè Nobis Dilecte.

MIsit ad Nos usque ad hunc locum Civitas Gedanensis Nuntium suum, & supplicibus à Nobis contendit precibus, ut eam circa libertates & immunitates Civitati prædictæ & Bonis ejus servientes, manutenere & conservare dignaremur. Sicut verò sub præsentiam nostram in ea Civitate particularem eidem promisimus Protectionem & circa Jura & Libertates conservationem; ita requirimus à Sincer. Vâ: ut *præfatam Civitatem, Decus Provinciæ Prussica*

sicæ imo universarum ditionum Nostrarum & Reipublicæ in singulari habeat consideratione & Bona ipsius ab omnibus impetitionibus, aggravationibus & oneribus militaribus, pro munere, quod gerit, supremi Exercituum Regni Ducis, libera manuteneat: Quod Sinceritati Vestræ enixe commendantes prosperam Eidem precamur valetudinem. Dab: in Castris ad Urbem Stralsundensem d. 7. Octobr. Anno Domini M DCC XI. Regni verò Nostri XV. Anno.

AUGUSTUS REX.

Illustrisſimo Adamo Sieniawski, Castellano Cracoviensi, Supremo Exercituum Regni Duci, Sincere Nobis dilecto.

No. 63.

Ex Responso quod Nuncio Regio dedit Terrarum Prussiæ Conventus Generalis Culmæ d. 5. Octobr. Anno 1660.

HUmillimis quoq; apud Sacram Regiam Majestem denuò intercedunt precibus Status & Ordines ut —— —— Dn. Thesaurarius Regni *tam diu donec de Laudatis ac in Thesaurum illatis certò prius sibi constiterit* abasſignationibus imposterum transmittendis non tantùm supersedeat, sed etiam extraditas revocet.

Ex Instructione Nuntiis Terrarum Prussiæ ad Comitia Varsaviensia in Conventu Generali Thorunensi d. 26. April 1661. datâ.

SOllicitabunt M: ac Generosi Domini Nuntii, ne Illustrissimus Regni Thesaurarius ex Contributionibus publicis exercitus stipendiorum solutioni destinatis in alios extraordinarios præterquàm solius exercitus usus ac necessitates quidpiam eroget. Non minus in eo quoque sollicitè agent, *ne inposterunm Illustrissimus Thesaurarius Regni Terris his solvendum quidpiam assignet, primquam de i isdem Contributionibus à Nobis laudatis ac conclusis certior Factus fuerit* & quo magis indemnitati Illustrissimi Domini harum Terrarum Thesaurarii prospectum sit, præcavebunt insuper M. ac Generosi Domini Nuntii, ne Is ad Tribunal Radomiense eo nomine evocetur ac infestetur.

Laudum Anni 1667.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Graudenti congregati notum testatumque facimus quorum interest. Quod cum hæ Terræ vigore Declarationis in Comitiis nuperis per Dominos Nuncios factæ respectu 24. Fumalium â Regnicolis laudatarum negotium Contributionis integrum ad Conventum post Comitialem more usitato receperint cum istâ modificatione, quod non ultra Tariffam seu summam agrariarum cum abjuratis secundum sancitum Anni 1661. computandam teneri debeant; Et tamen nunc innotescat, quod Illustrissimus Dominus Regni Thesaurarius summas longè majores & istam Tariffam 24. agrariarum excedentes Exercitui tradiderit: Ideo vigore hujus Laudi, inhærentes Declarationi Comitiali præcusto-

custodimus & Illustrissimo Domino Thesaurario Prussiæ committimus, quod *ultra Tariffam* istam 24. Agrariarum, quæ summam 115024. Flor. 24. Gr. efficit, *nullas assignationes* recipere debeat atque *Illustrissimo Regni Thesaurario significare, ne ultra Tariffam molestias nobis per assignationes causetur.* In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & datum in Conventu Generali Graudentin: die 21. Novembr. 1667.

No. 64.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ Graudenti in Conventu Generali congregati Universis & Singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Cùm ob plurimas ac legales causas ad præsens Ratiocinia & calculum Thesauri differri necessum fuerit, ne id imposterum ampliùs in sequelam trahere liceat, præsentibus præcavendum esse duximus, constituimusque, *quòd deinceps semper circa laudandas Contributiones, more pridem solito, calculus Thesauri exhiberi debeat.* In præmissorum fidem Sigillum Terrarum Prussiæ hiscè subapprimi jussimus. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali d. 10. Octobr. 1672.

No. 65.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in Conventu Generali Graudenti congregati, universis & singulis, quorum interest, notum testatumque facimus. Quia Nos reassumendo anteriora lauda de non differendis Thesauri rationibus, Conventus præsentis authoritate sancimus & statuimus, *quod secundum Justitiam & æquitatem rationes Thesauri imposterum post illatas in Thesaurum contributiones statim*

ſtatim proximo in Conventu reddi, nullaque in eo diſpenſatio admitti debeat, ita ut nec ad aliarum contributionum mentionem, niſi prioribus liquidatis, deſcendi poſſit. In præmiſſorum fidem Sigillum harum Terrarum hiſce ſubappreſſum eſt. Actum & datum Graudenti in Conventu Generali. d. 23. Octobr. Anno 1679.

No. 66.

Excerptum ex literis Illuſtrisſimi Domini Fabiani Czem Palatini Mariæburg. ad Senatum Gedanenſem occaſione telonei ad Album montem iniquè inſtituti ſcriptis Anno 1588. d. 3. April. Strumæ.

Es iſt ſich nicht allein zu verwundern / ſondern mag auch GOTT im Himmel erbarmen/ daß man mit dieſer ſchönen herrlichen Provintz und dero Freyheiten und Privilegien alſo ſpielet/ und die/ ſo es ſollen defendiren helffen/ ſeynd gleich dieſe ſo es ins Werck ſetzen. Wann unſere Vorfahren die alten deutſchen Preuſſen ſolten uffſtehen und anſehen wie es zugehet / glaub gewiß vor Hertzleid würden ſie wieder ſterben und länger nicht begehren zu leben. O *Patria Patria, ſi in illis eſſet fides, in quibus ſumma eſſe deberet, non laboraremus.* Aber es gehet uns Preuſſen: dato uno abſurdo ſeqvuntur infinita. Wo bleibt unſer Indigenatus. Itzund fordern Ihr. Majeſt. die Wybrantzen uf/ mit groſſem beſchwer und untergang armer Leute. Do wir Ihro Majeſtät als ein neu und ankommenden Herrn

Herrn im Lande hatten / also hätten wir unanimiter Seine Majestät antreten sollen / und unsere Gravamina deduciren / und um Abstellung bitten. Aber wies uns hertzlich ist / so haben wirs auch fortgestellet / und die / so die ersten billich seyn solten / waren die letzten. GOtt gebe daß alles wol gerathe. Aber ich besorge *scientes & volentes perimus.* An etlichen Oertern hab Ich gesehen angeschrieben mit güldenen Buchstaben:

Eigener Nutz und junger Raht / Troja und Rom zustöhret hat.

Was wird denn dies Vaterland zustöhren und zu Grunde machen. Vielleicht finden sich och solche Ursachen. GOtt wende alles böse von uns und erbarm sich unser. Besser hievon mündlich zu reden als zu schreiben.

Versio præcedentis Excerpti.

ESt quod non modo miremur, sed cujus ipsum in cœlis Deum misereatur, ita ludi pulchrâ hâc & egregiâ Provinciâ ejusque libertatibus ac privilegiis. Atque *hi, quibus incumberet mutuò defendere, illi sunt, qui mala perficiunt.* Si Majores nostri Veteres Germani & Pruteni resurgerent, & quæ aguntur viderent, certe credo præ dolore denuo morituros vivereque diutius non cupituros fore. *O Patria Patria! si in illis esset fides, in quibus summa esse deberet, non laboraremus:* Sed ita se res habet cum nobis Prutenis. Dato uno absurdo seqvuntur infinita. Ubinam est noster Indigenatus. Jam Regia Majestas convocat Wybrancios seu selectos milites cum magno incommodo & interitu pauperum. Dum Regiam

Majeſtatem, novum & advenientem Dominum in his Terris habebamus, oportuiſſet unanimiter Eam accedere, gravamina noſtra deducere, atque abrogationem eorum petere. Verum ut cordi nobis negotium eſt, ita proſecuti ſumus. Atque *hi, qui merito debuiſſent primi eſſe, erant poſtremi.* Faxit DEUS ut ſuccedant omnia proſperè. Aſt vereor. *Scientes & volentes perimus.* In quibusdam locis vidi notatum aureis literis:

Conſilium Juvenum, propriique cupido lucelli
Effecêre olim Trojæ Romæque ruinas.

Hujus igitur *Patriæ* ruinas quid efficiet? quidque eam peſſundabit? Fortè geminæ quoque cauſæ reperiuntur. Avertat cuncta mala DEUS noſtrique miſereatur. Præſtat conferre de his oretenus quàm ſcribere.

No. 67.

Excerptum ex Sermone, quem ad Sacram Regiam Majeſtatem Polon. in Comitiis Varſav. 1563. nomine Conſiliariorum Pruſſiæ, Polonicè habuit Dn. Joannes â Dzialin Dzialinski Palatinus Pomeraniæ.

Sereniſſime Clementiſſime Rex & Domine.

CUm magnâ afflictione noſtrâ audivimus nos per Miniſterialem vocatos eſſe, ad Jura & Privilegia, ratione bonorum, tam ab Anteceſſoribus Regiæ Majeſtatis Veſtræ quàm

quàm ab Ipsâ Regia Majestate Vestra datorum & concessorum, hodiernâ die producenda, eò nos pertrahendo, ut Statuto seu Constitutioni sine nobis sancitæ quodammodò subjecti esse debeamus, id quod nunquam agnovimus nec agnoscere volumus. Benè etiam meminit Regia Majestas Vestra, nos non tantùm verbis sed etiam scriptis protestationem nostram interposuisse, cujus quoque hìc Varsaviæ degentes Personam Regiæ Majestatis Vestræ commonefecimus, spem erga Regiam Majestatem Vestram, ceu erga Christianum Dominum & Regem foventes, Regiam Majestatem Vestram nos ulteriùs ad res istas non esse compulsuram, quoniam & hoc pro Nobis militat, quòd Regia Majestas Vestra in omnibus causis notabilibus solummodò cum Consiliariis Terrarum Prussiæ deliberare teneatur. Id quod tamen apud Regiam Majestatem Vestram per omne hoc tempus precibus impetrare non potuimus; Quamvis & id nobis suffragatum fuerit, quod Regiæ Majestatis Vestræ Antecessores, ubi ardua ejusmodi negotia in Terris illis obvenerunt, eadem solummodò cum Suis Consiliariis Terrarum Prussiæ expenderint & definivernit; prouti illud in præteritis Comitiis Petricoviensibus latiùs & solidiùs coram Sacrâ Regiâ Majestate Vestrâ demonstratum est. Probè etiam intelligimus, nos ad illâ Ministerialis Vocationem, quia Legati sumus ab omnibus Domi relictis Fratribus nostris & communibus Statibus, hìc comparere non teneri, ex his rationibus, quòd, sicut Statuto seu Constitutione obstricti non sumus, ita nec acclamationi Ministerialis, tanquam ex Statuto vel Constitutione prædictâ subsequenti, parere teneamur; Quia etiam Consiliarii sumus, quem titulum Regia Majestas Vestra nobis tribuit. Quod si verò teneremur ea servare, quæ Regia Majestas Vestra cum Suis Consiliariis in Comitiis Regni statuit, id spontaneæ submissioni, per Majores Nostros Regiæ Majestatis Vestræ Antecessoribus

foribus gloriosissimæ memoriæ factæ planè non consentaneum esset: Hoc enim nunquam moris fuit, etiam apud illos Dominos, â quibus Antecessores nostri ex legitimis causis recesserunt. Quin & apud omnes populos moris non est, ut ex aliâ servitute in aliam eandemque majorem se transferant, sed in majorem libertatem. Prouti etiam pari modo â Regiæ Majestatis Vestræ Antecessoribus immunitates nobis & jura concessa & â succedentibus Regibus æquè ac â Regiâ Majestate Vestrâ confirmata sunt. Ratio etiam edocet, Antecessores Regiæ Majestatis Vestræ non sine causâ Consiliarios, uti Episcopos, Palatinos, Castellanos, Succamerarios, & Majores Civitates Sibi ac Terris â Consiliis constituisse, idque procul dubio â Regiæ Majestatis Vestræ Antecessoribus ideò factum est, quòd Suæ Regiæ Majestati sine iisdem Consiliariis nihil facere competiit, circa quod jus, Regiæ Majestatis Vestræ Antecessores gloriosissimæ memoriæ, usque ad felix Regiæ Majestatis Vestræ Regnum, Terras conservârunt, & non modò Terris Consiliarios Suos dederunt, sed etiam Gubernatorem cum consensu earundem Terrarum loco Sui constituerunt: Prouti illud Privilegium nostrum prolixè testatur, nos ita & hoc modo in causis & negotiis nostris extra Provinciam non posse evocari. Quinam essemus Consiliarii, si ea servare teneremur, quæ Regia Majestas Vestra hìc statuit? Id, sanè, in magnam nostri & tituli Consiliariorum Prutenorum imminutionem fieret. Porrò quoque tam nostrum, nempe Consiliariorum Prussiæ, quàm etiam Capitaneorum Juramentum peculiari titulo formatum est, ut ita Regia Majestas Vestra facilè conjicere possit, siquidem etiam alio jure aliâque consuetudine gaudemus, quòd in nos, nobis absentibus, nihil statui potuerit. Spectavimus etiam, quomodò Regia Majestas Vestra cum Legatis Lithuanicis se gesserit, nempe quod iidem non per acclamationem Ministerialies,

sed

ſed per Legationem è medio Regiæ Majeſtatis Veſtræ Conſiliariorum cum magnâ honoris teſtatione in hunc locum coram Regiæ Majeſtatis Veſtræ Perſonâ deducti fuerint, &c.

No. 68.

Ex Literis Statuum & Ordinum Pruſſiæ, in Conventu Generali Graudentin. Anno 1594. d. 9. Auguſti congregatorum, ad Conſiliarios Regni Poloniæ ſcriptis.

NEque enim exiſtimamus Reverendiſſimas, Illuſtres ac Magnificas Dominationes Veſtras latere, quâ fide quâq; animi conſtantiâ Majores Noſtri inclyti Poloniæ Regni ſceptrum amplexi, ſe eidem *non vi vel armis* coacti, ſed *ultro ac ſua ſponte, intervenientibus certis pactis* atque conditionibus ſubmiſerint, ut Regno quidem Poloniæ uniti & incorporati, peculiarem tamen & *ab inclyto Polonia Regno diverſam plane Reipubl. formam* retinuerint, in quâ peculiares conſtituti Magiſtratus, peculiaris ac à Regno plane diverſa jurisdicendi & legum ac jurium ratio, aliaque denique rerum omnium, quæ in Terris Pruſſiæ conſpiciuntur, facies & quædam non obſcura diſtinctio. Quibus omnibus Majores Noſtri pacificè & quietè ſine ullius hominis interpellatione, vi vel impedimento, tanquam fideles Sereniſſimorum Poloniæ Regum ſubditi ſupra hominum memoriam uſi ſunt, & eum uſum ad Nos quoque ſuos poſteros, qui non minore fide, conſtantiâ, cultu ac obſequio inclytum Poloniæ Regnum ſemper demereri adnixi & Majorum veſtigiis inſiſtere conati ſumus, traduxerunt & per manus tranſmiſerunt, ita ut juris præſcripto, iis omnibus libertatibus, privilegiis, immunitatibus ac conſuetudinibus, quibus Majores Noſtri gaviſi ſunt, Nos quoque meritò gaudeamus,

deamus,& iis non in cujusquam præjudicium, ſed cùm propriè noſtra, ac nobis Majorum noſtrorum & noſtro quoque merito conceſſa, & ex merâ Sereniſſimorum Poloniæ Regum liberalitate donata ſint, noſtro jure eoque Nobis debito utamur. Et quamvis *hiſce proximis aliquot annis, præter certè noſtrum meritum, ita nobiſcum actum ſit & etiamnùm agatur, quaſi peculiaribus juribus, privilegiis, libertatibus ac conſuetudinibus prorſus vacui, ancipitibus & incertis caſibus relicti fuerimus*: Nos tamen ea omnia ob ſummum cultum & reverentiam erga Principem Noſtrum ita toleravimus, ut interim de noſtro jure, noſtrisque libertatibus & privilegiis nihil quicquam ullo tempore remiſerimus, ſed ea, cum vivæ vocis per Internuntios factis proteſtationibus,tum literisNoſtris & ad Sereniſſimos Principes Noſtros,&Reverendisſimas quoq; Illuſtres acMagnificasDominationes Veſtras, *Fratres Noſtros, Majores & Amicos*, perpetuâ obſervantiâ venerandos, miſſis, retinuerimus: ſperantes futurum,ut nobis aliquandoSol juſtitiæ& æquitatis illuceſceret, cujus radiorum vi atq; calore ſemina libertatum noſtrarum erecta priſtinum vigorem, candorem atque nitorem recuperarent.

No. 69.

Ex Laudo Conventus Generalis Culmenſis Anni 1660. d. 5. Octobr.

EX Theſauro vero Prusſiæ, quo nomine Illuſtrisſimi Terrarum harum Theſaurarii fides præſentibus firmiter obligatur, prædictæ contributiones,quæ inTheſaurum oblatæ fuerint, citius non extradentur, priusquam Acciſa currens, contra Jura & Privilegia harum Terrarum noviter introducta, realiter & in effectu abolita caſſataque, & Miles præſidiarius ex Civitatibus aliisque locis Prusſiæ eductus, denique *exactiones, ſtativa, Hyberna nec non & recens pro ſuſtentando milite præſi-*

præsidiario in his Terris introducta exactiones pecuniaria penitus abrogata fuerint.

No. 70.

NOs Status & Ordines Terrarum Prussiæ in moderno Conventu Generali Graudentinensi congregati, universis & singulis quorum interest, notum testatumque facimus. Quandoquidem â privato *Tribunalis Radomiensis* Conventu, cujus Activitas ex præscriptâ Comitiorum proximè præteritorum Lege cessare debet, his Terris, earundemque antiquissimis ac sanguine partis Juribus atque Immunitatibus, summa & ab accessione ipsâ ad Regnum inaudita illata est violentia, in personis Illustrissimi atque Excellentissimi Domini Palatini Pomeraniæ, Terrarum harum Thesaurarii, Ejusdemque Officii Castrensis, atque Magnifici Domini Joannis Elzanowski, ex Palatinatu Mariæburgensi ad Tribunal Radomiense Deputati Judicis, latis contra ipsos prægravabilibus ac nullatenus subsistentibus conquisitis Decretis ac condemnationibus, oppressâ ejusdem Magnifici Domini Elzanowski violenter liberâ voce, datisque aliis gravibus injuriis, ulteriorque adhuc ipsis contra expressa Terrarum harum Lauda ac Constitutionem Regni Anni 1678. Executionum extra-Provincialium metuenda sit insolentia, hinc in eum casum, quodsi tales *executiones* à quocunq; attentari vellent, subveniendo indemnitati Terrarum & Incolarum, præsentis Laudi autoritate statuimus, *ne talia Decreta vel Illustrissimi & Excellentissimi Domini Palatini vel eorum Officia exequantur*, vel in suis Palatinatibus executiones fieri patiantur, sed sese tam injuriosis, convocatâ per Rothmagistros nobilitate Palatinatus sui, opponant Decretis, & jus suum tueantur. *In contra facientem enim consurgemus universi, & integritati juris Nostri assistemus.* Cavemus quoque ac spondemus nobis invicem, quod conjunctis


junctis animis & studiis, Terrarum ac Civitatum commodum, omni operâ atque conatu promoturi, Jura, Privilegia & Immunitates Easdem concernentes, absque omni respectu personarum tuituri, omniaque ea, quæ ad salutem & incolumitatem prætactarum Terrarum & Civitatum, earumq; omnium ac singularum jurium & Privilegiorum pertinere videbuntur, præstituri sumus. In præmissorum fidem Sigillum harum Terrarum hisce subappressum est. Actum & Datum Graudenti in Conventu Generali d. 30. Junii 1687.

Ex Instructione à Conventu Generali Terrarum Prussiæ, Graudenti d. 5. Aprilis 1712. celebrato, datâ Nuntiis ad Comitia Varsaviensia.

Cùm quoque hucusque Indigenatus Terrarum Prussiæ, & alia Civitatum Majorum ac minorum Jura, per *indebitam* Ordinis Equestris & Civitatum *extra Forum, quod habent, evocationem,* maxima passa sunt præjudicia, proindè serio promovebunt, ut in futurum Jura illa legitimè obtenta sanctè observentur, Civitatesque Majores ac minores circa eadem conserventur, *Evocationesque extra Forum & quicquid in fundamento earum subsecutum*, tollantur.

Merentur hoc loco repeti sub Num. 2-18. *ut &* Num. 23-35. *passim producta, atq; addi, quæ inter Jura Prussiæ Typis publicata leguntur* ad D. Sigismundum Regem Ordinum Prussiæ missa Legatio, Eidemq; Serenissimo Regi oblata supplicatio An. 1548.





Menda Typographi ſic corrigantur.

Pag. 8. Lin 22. pro *ſcitu* leg. *ſcito.*
9. Lin. 17. pro *adhunc* leg. *adhuc.*
12. Lin. 17. pro *Mlite* leg. *Milite.*
13. Lin. 4. pro *ſollcitudinem* leg. *ſollicitudinem.*
16 Lin. 15. pro *datâ* leg. *data.*
17. Lin. 8. poſt verba: *Ordinum ſententiâ* add. *Anno 1660. Eorundem Reſponſo, atq;.*
17. Lin. 13. pro *ullam contributionem* leg. *ullas contributiones.*
17. Lin. penult pro *tubines* leg. *turbines.*
20. Lin. ult. pro *introſpicient* leg. *introſpicienti.*
24. Lin. 23. pro *incorportionis* leg. *incorporationis.*
30. Lin. 6 pro *oidnaria* leg. *ordinaria.*
36. Lin. 15. dele. *quoq;.*
38. Lin. 11. pro *continuæ perditiones* leg. *continuè per ditiones.*
38. Lin. 21. pro *Ordinis* leg. *Ordines.*
40. Lin. 25. pro *relinqant* leg. *relinquant.*
40. Lin. 26. pro *ferrent* leg. *fervent.*
40 Lin. 27. pro *ſperanter* leg. *ſperantes.*
45. Lin. 2 pro *illatoq;* leg. *illataq;*
49. Lin. 12. pro *eorum* leg. *earum*,
58. Lin. 18. pro *udem* leg. *iisdem*
61. Lin. 14. pro *aliquin* leg. *alioquin.*
61. Lin. 16 pro *importunitati* leg. *importunitate*
79. Lin. 2 pro *Statum* leg *Statuum.*
80 Lin. ante-penult. pro *Culnenſi* leg. *Culmenſi.*
83. Lin. 3 pro 168. leg. 1618.
83. Lin. 17. pro *referemus* leg. *referremus*
86. Lin. penult. pro *intulerint* leg. *intulerunt.*
88 Lin. 5. pro *Radomenſi* leg. *Radomienſi.*
88. Lin. 12. pro *Radomenſis* leg. *Radomienſis.*
90. Lin. 15. pro *id eo* leg. *ideò.*
90. Lin. 17. pro *præſenti* leg. *præſentibus.*

90. Lin.

Pag. 90. Lin. 21. pro *vigesimo 4to.* leg. *trigesimo 4to.*
96. Lin. 19. pro *remissionem* leg. *remissio.*
96. Lin. 20. pro *factam* leg. *facta.*
101. Lin 10. pro *Gilbatzewski* leg. *Gilbaszewski.*
101. Lin. 19. pro *in amia* leg. *infamia.*
103. Lin. 21. pro *defensionom* leg. *defensionem.*
104. Lin. 25. pro befehen leg befehlen.
106. Lin 11. pro *pabulatiouibus* leg. *pabulationibus.*
106. Lin. 15. pro *inserioribus* leg. *inferioribus.*
108. Lin. 17. pro *Illustrissimè* leg. *Illustrissime*
109. Lin. 18. pro *Majestem* leg. *Majestatem.*
110. Lin. 9. pro *inposterunm* leg. *imposterum.*
110. Lin. 10. pro *i isdem* leg. *iisdem*
111. Lin. 19. pro *biscè* leg. *bisce.*
115. Lin. 19. pro *definivernit* leg. *definiverint.*
115. Lin. 22. pro *illã* leg. *illam.*
116. ult: pro *Ministerialies* leg. *Ministerialis.*

